16 20939/p

DE POCVLIS SANITATIS POCVLIS MORBORVM ET MORTIS

PRAESIDE

CHRISTIANO GOTTFRIED STENTZEL
ARTIS SALVTARIS AC PHILOSOPHIAE DOCTORE, CHIRVRGIAE AC PATHOLOGIAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

DISPVTABIT

D. XV. AVGVSTI A. CIↃ IↃ CC XXXIIX.

LOCO HORISQVE CONSVETIS

STEPHANVS KELLER
TRENSCHINIENSIS VNGARVS. MED. CANDID.

VITEMBERGAE
TYPIS EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDII
ACADEMIAE TYPOGRAPHI

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

DE

POCVLIS SANITATIS POCVLIS MORBORVM ET MORTIS.

I

LAbefactatur, labefactata ruit & concidit proſpera hominum ualetudo, ſi humorum uitalium ex corde ad partes, atque ex partibus ad cor deriuatio plus iuſto intenditur, retardatur, uel alia deprauatur ratione; imo etiam, illo, quem progreſſiuum dicimus, ſanguinis motu penitus ſufflaminato, de uita, omnibusque, quae eandem conſtituunt, actionibus, omnino actum eſt. Minus neceſſarium, ut ad euincendam huius ſententiae ueritatem ac certitudinem, ſacri teſtimonia codicis (a) adducam, idem quippe plures quotidie occurrentes morborum mortisque hiſtoriae docent & demonſtrant. Leuis certe laeſio, artificioſiſſime conſtructis, quarum quatuor

(a) Geneſ. cap. 9. uerſ. 4. & Leuit. cap. 17. uerſ. 11. Quibus addenda Tremelli & Iunii ſententia, qui expreſſis uerbis, quod in hominis ſanguine, ipſius anima ſit, affirmant.

cor habet, cauitatibus, uel maioribus, quae maſſam purpuream uehunt, reuehuntque, uaſis, illata, tollit atque extinguit, una cum cordis ſanguinisque motu, ſuauiſſimae huius lucis, qua ui-ui fruimur, uſuram. Polypus cordis, uel aliud peregrinum ſimilis naturae corpus, ex ampliore ad anguſtius protruſum, ſpatio, arterias obturando, ſanguinisque ad uiſcera atque alias partes deriuationem impediendo, repentini inopinatique cauſam interitus, perſaepe conſtituit. Quid de morbis, quibus uni-uerſum affligitur corpus, quibus ſingulae diuexantur partes, dicam? Reſpice febrem, obſtructionem, tumorem, inflamma-tionem, gangraenam, ſphacelum, apoplexiam, animi deliqui-um, haemoptyſin, aliaque plura, quibus humanum corpus ob-noxium eſt, mala; erue proximam allegatorum affectuum cau-ſam, quae ipſam morbi conſtituit eſſentiam, atque inter quam & ipſam infirmitatem nulla alia intercedit, nihil ſane aliud, quam uarias corruptae maſſae ſanguineae rationes, uariosque laeſi turbatique circuli ſanguinis modos animaduertes. Non a uero dehinc rectoque me aberraturum confido, ſi in exacta maſſae purpureae, & ab hac, eiusque per totum corpus diſtri-butione, dependentis mutationis, cognitione, atque indagatione, praecipua certaque ſanitatis defendendae, ac morborum pro-fligandorum fundamenta conſtituo, iterum iterumque affir-mans: quod omnis periti medici actio, & omne eius artificium, tam in ſecundae tutela ualetudinis, quam deprauati atque aegro-ti emendatione ſtatus, quo propoſitum aſſequatur, eo debeat collimare, ut liberam, aequalem, facilemque ſanguinis per quasuis corporis partes circulationem quam diutiſſime conſer-uet, retardatam uero, uel nimis acceleratam, alioque turbatam modo, ad priſtinas & naturales, quas in exoptata & perfecte ſa-na corporis conſtitutione deprehendimus, leges reducat.

II. Ad liberum uero, promtum, aequalem, ac perennem, quamdiu uita noſtra durat, ſanguinis ex corde ad quasuis par-

tes,

tes, arteriarum miniſterio, propulſum, eiusque ex partibus ad cor, uenarum ſubſidio, reditum, quam diutiſſime conſeruandum, ac promouendum, non ſufficiens ſaltem cordis uis, uiaeque & uaſa, per quae humor uitalis tranſire debet, robuſta, aperta, atque omnis expertia impedimenti, requiruntur, ſed legitima etiam bonaque ſanguinis, ac reliquorum, ex eodem ſecretorum, uniuerſi corporis nutritioni, motui, ſenſui, atque incolumitati ſeruientium liquorum conſtitutio, ſumme neceſſaria eſt. Sanguis ita, ſiue eius conſiſtentia naturali maior, uel minor, licet omne a uaſis ſanguiſeris cordeque abſit uitium, licet ſufficiens in cordis machina adſit uis & robur, licet arteriae uenaeque ab omni obſtaculo atque incommodo ſint liberae, uberiorem uariis morbis anſam ac materiam ſuppeditat, atque inſignem & multiplicem, tum in toto corpore, tum certis duntaxat partibus moleſtiam creat. At enim uero, prouti nimia ſuccorum diſſolutio, nimiaque ſanguinis tenuitas atque acrimonia, turbando liberam atque aequalem maſſae purpureae circulationem, ac per uniuerſi partes corporis diſtributionem, nutritioni, totique ſecretionis animalis negotio impedimento eſt, ac gelatinoſos peſſundans & diſſipans ſuccos, uires proſternit, & plane exhaurit, ita plura adhuc & longe grauiora mala, quae derepente, uehementiſſimorum confluxu ſymptomatum, homines iugulant, a ſuccorum uiſciditate, craſſitie & nimia cohaeſione expectanda ſunt; ſanguine enim craſſioribus & pituitoſis onuſto particulis, extremi diametro uaſis, per quod tranſire debent, maioribus, obſtructio, eryſipelas, inflammatio, gangraena, ſphacelus, ſchirrhus, ulcus, atque innumera alia uariae indolis mala propullulant.

III. Quo igitur libera & conſtans, cum promto quarumuis functionum naturalium exercitio, purpureae, per omnia totius machinae humanae organa, maſſae circulatio conſeruetur, cuſtodienda, ac quouis modo promouenda eſt particularum

ſanguinem conſtituentium tenuitas ac ſubtilitas. Hunc autem, quem deſcripſimus, atque ad proſperae defenſionem ſanitatis deſiderauimus, humorum uitalium ſtatum, non alia ratione, nec meliore & certiore ſubſidio, quam ſufficiente accommodatorum potulentorum, congruo tempore hauſtorum, copia, impetrabimus. Conſpirant & conſentiunt in eo omnes prudentes medici; hoc nos quotidianus docet uſus; haec pariter PRIMEROSII (b) & WOLFFII (c) eſt ſententia, qui uitam ſanitatemque ſufficienti potu, & ſomno, nec non abſtinentia ab ira, omnium optime ſeruari, aſſerunt. Quibus addendum IOACHIMI CAMERARII (d) monitum, qui inter *ὑγιεινὰ*, ſeu ſalubria, praeter *ἐυεϑησίαν, τϱοφῆς ἀκοϱίαν, γυμνάσια σώματος ἔυκαιϱα, ψυχῆς ἡσυχίαν*, praecipue *ποτȣ̃ πλῆϑος ξύμμετϱον*, hoc eſt, mediocrem potus copiam, refert.

IV. Sufficienti itaque congruorum potulentorum, paullatim, quando idem urget ſitis, aſſumendorum uſu, bona, ſi cetera conſentiant, ſanguinis conſtitutio, proſperaque ualetudo, commode obtineri, & quam diutiſſime defendi poteſt. Nec minor eorum in profligandis morbis uirtus, utilitas, ac neceſſitas, ita, ut potulenta, debito modo, tempore, & copia, adhibita, optima ſaepe, praeſentisque remedia effectus, uti eo, quod CORNELIVS CELSVS (e) ſuppeditat, exemplo probatur, conſtituant. Quod etiam innuere uoluit HIPPOCRATES, (f) morborum, accommodatae ſubſidio diaetae, medelam commendans, hac addita ratione: *τὰ ἕτεϱα τῶν ἑτέϱων ἐσϑιόμενα καὶ πινόμενα φάϱμακά ἐςιν*, alia nempe eorum, quae edimus & bibimus, remedia ſunt, eoque medicamentis ita dictis, ex

SPONII

(b) Tractatu de Vulgi erroribus lib. 3. cap. 18. (c) Diſputatione de potu literatorum p. 54. (d) Arithmologiae ethicae auctuario, p. m. 203. & 212. (e) Lib. de Medicin. Praefat. p. 19. edit. quae Lugdun. Bat. in 12mo an. 1665. apud Salomonem Wagener prodiit. (f) de morbis, Libro 4to.

SPONII (g) ſcito, praeſtantiora, quod naturae magis amica ſint. Optimus hac ratione aquae, atque aliorum potulentorum ſimplicium, atque emollientium, in ſiccioris ſubiectis naturae, effectus. Magna ſimiliter eorum uis operandi, in humorum corrigenda eluendaque acrimonia,& diluenda uiſciditate, exiſtit. Quid in corrigendo neruorum languore, euacuando ſero abundante, eiusque emendanda craſſitie ac tenacitate, generoſum poſſit praeſtetque uinum, plures quotidie confirmant obſeruationes.

V. Vti uero optimae rei abuſus ac corruptio, peſſima ſolet eſſe, ita iure meritoque de frequenti potulentorum, quae tum propriae ualetudinis conſeruandae ergo, tum in aliorum affatim haurimus ſalutem, detrimento, cum PLINIO (h) pronunciare tenemur: terra quidem nobis malorum remedium genuit, nos illud uitae fecimus uenenum. Nam, teſte experientia, doctore HIPPOCRATE, (i) *τῶν σιτίων καὶ τῶν ποτῶν τὰ προσφορώτατα τῷ σώματι, ὅταν τις αὐτοῖσι μὴ ἐν καιρῷ χρῆται, ἢ πλέοσι τοῦ καιροῦ, αἵ τε νοῦσοι, καὶ ἐκ νούσων οἱ θάνατοι γίνονται,* ex alimentis nempe ac potulentis, quae corpori maxime conueniunt, cum quis ipſis non opportune, aut largiore utitur quantitate, tum morbi, tum ex morbis, interitus eueniunt. Non eſt igitur, cur de naturae malignitate conqueraris, quod in exiguum aeui gignamur, quod haec tam uelociter, tam rapide, dati nobis temporis ſpatia decurrant, adeo, ut exceptis admodum paucis, ceteros in ipſo uitae apparatu uita deſtituat; tu ipſemet, tuaque luxuries, uberior praecipue potulentorum ingurgitatio, eſt in culpa; audias de his SENECAM, (k) qui tibi, ad prolatas querelas, ſequentem dat reſponſionem: non exiguum tem-

 poris

(g) Aphoriſmorum nouorum Sect. 4. §. 3. p. m. 203. (h) Hiſtor. Natural. lib. 18. cap. 1. ed. Froben. in fol. p. 310. & 311. (i) lib. de Diaeta in acutis. Conf. in hunc locum Sponius, aphor. nou. Sect. 4. §. 1. p. m. 201. (k) lib. de breuitate uitae, cap. 1. edit. quae ex officina Plantiniana, Antuerpiae, cum Lipſii Comment. in fol. 1658. prodiit, p. 213.

poris habemus; ſed multum perdimus; ſatis longa uita, & in maximarum rerum conſummationem large data eſt, ſi tota bene collocaretur; ſed ubi per luxum ac negligentiam defluit, ubi nulli rei bonae impenditur, ultima demum neceſſitate cogente, quam ire non intelleximus, tranſiiſſe ſentimus. Ita eſt, non accepimus breuem uitam, ſed fecimus, nec inopes eius, ſed prodigi ſumus.

VI. Nos igitur ipſimet, morborum, & abrupti in medio uitae fili, auctores, neceſſariarum abuſu rerum, euadimus. Nec maius ex aliis, quibus ad uitam ſuſtentandam maxime egemus, corruptis, detrimentum, quam ex largiore potulentorum ingurgitatione, expectandum; νοσοῦμεν ita, uti Graecorum habet prouerbium, οἷς ζῶμεν, iis quippe rebus, quibus uita ſuſtentatur, abutentes, & morbos & mortem nobis accerſimus. His commotus HENRICVS MVLLERVS, (l) poculorum abuſui, atque ebrietati, primum inter praematurae frequentisque cauſas mortis locum, merito aſſignauit; ac doctiſſimus SENNERTVS (m) noſter, immoderatam potus deglutitionem, atque ebrietatem, ipſiſſimam ualetudinis & hominis peſtem eſſe, optime pronunciauit. Potulentis ſane, ad tuendam ſani incolumitatem hominis, egemus, iisdem uero corpus minime obruendum. Potulenta, nouam, reparando ſero, quod maximam ſanguinis partem conſtituit, materiam praebent, iis autem, non ad hydropis, aliorumque affectuum, qui ex feroſa impuritatum colluuie ortum ducunt, generationem, abuti debemus. Potulenta optimum ſuppeditant nutrimentum, atque eo maior eorum, in tuenda humani corporis integritate, utilitas, ac neceſſitas, quo largior limphae, per inſenſibilem tranſpirationem, ceterasque ſecretiones, copia ſecedit, minime uero

(l) in Euangeliſchen Hertzens-Spiegel, Domin. 16. p. 566. (m) Inſtitut. Lib. IV, Part. I. cap. 4.

ro largiora haurienda pocula, ut magis magisque intendatur perſpiratio, ſed illorum potius miniſterio illud, quod perſpiratione e corpore ſeceſſit, reſarciendum. Potulenta lubricandis atque in debito tono & robore conſeruandis ſolidis, maxime ſeruiunt, nimia uero horum copia, nerui nimis haud diſtendendi & relaxandi, omnique ui & robore ſpoliandi. Non potus igitur, ſed peruerſa hominum indoles ac conſuetudo, potu abutentium, accuſanda eſt; etenim, *πᾶν τὸ πολὺ, πολέμιον τῇ φύσει*, omne nimium, inquit HIPPOCRATES, (n) naturae inimicum; &, ut idem, (o) alio ſcribit loco: *οὐ πλησμονὴ, οὐ λιμὸς, οὐδ' ἄλλο οὐδὲν, ἀγαθὸν, ὅτι ἂν μᾶλλον τῆς φύσεος ῇ.* Cum contra, ſi quis paucis & defecatis fruatur alimentis ac potulentis, nullum exinde incommodum patiatur, nullum experiatur morbum; *τὸ γὰρ κατ' ὀλίγον*, fatente Coo noſtro, (p) *ἀσφαλές.* Seruetur igitur modus in rebus, ſint certi denique fines, atque accommodata cuiusuis conſtitutioni potulenta ſeligantur, ſelecta, congruo tempore, pauciore quantitate, hauriantur. Quale uero capiendum conſilium, ſi, ut SENECA (q) habet, quaeris, qua ratione ſitim prima potione ſedatam reuoces? Num tibi, cum fauces urit ſitis, aurea quaeris pocula? Egregie itaque HORATIVS negat ad ſitim pertinere, quo poculo aqua, aut quam eleganti manu, miniſtretur; nam, ſi ad te pertinere iudicas, quam crinitus puer, & quam perlucidum tibi poculum porrigat, non ſitis. Non tot ſapores, te cum PLINIO hortor, ſuadeoque, tuum palatum excitent, ſed famem cibus ſimplex domet, talis quoque potus extinguat ſitim, edas citra cruditatem, bibas citra ebrietatem, capias prandium ad neceſſitatem tui corporis, coenam ad reliquum tui deſiderium, ſic eris, ut priſci mortales fuerunt, a catarrhis prorſus immunis,

VII.

(n) Libr. Aphoriſmorum, Sect. 2. §. 51. (o) Sect. 2. aphoriſmo 4. (p) Sect. 2. aphor. 51. (q) Epiſt. 119. Oper. quae Antuerp. in fol. ex offic. Plantin. Balthaſ. Moreti, 1652. cum Lipſi not. prod. p. 662. & 663.

VII. Illam igitur a catarrhis aliisque pluribus morbis immunitatem ac libertatem, quam hic nobis PLINIVS promittit, non alio impetrabimus ſubſidio, quam ſobrietate. Sobrietatis, inquam, miniſterio, (quae a DONAVERO aurea accommodate appellatur, ſanitatem quippe, bonum, auro longe pretioſius, cuſtodiens,) plus praeſtare & perficere poſſumus, quam ſic dictis, quas alii ad nauſeam usque commendant, panaceis; aurea, ſcribit citatus auctor, ſobrietas, tanto magis eſt utilis res, quo damnum eſt animo grandius ebrietas. Sobrietas certe, optima eſt medicina, ac certiſſima, ſi quae datur, panacea, qua proſpera ualetudo per plures annos conſtans firmaque ſeruari, qua imminentes infirmitates tuto praecaueri, qua mala corporis pertinaciora atque inueterata curari, ac funditus tolli euertique poſſunt, ac quam exinde omnibus, quibus praeſentis defenſio ſanitatis curae cordique eſt, HIPPOCRATES(r) hiſce paucis maximopere commendat: *ἄσκησις ὑγίης, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων*, ſanitas nempe ſobrietate atque indefeſſo labore conſeruatur. Haec uero regula multorum, quos praeſens habet ſeculum, hominum palato minus arridet, illi enim laborem auerſantes, otio torpent, ac ſobrietatem, tanquam rem maxime pernicioſam, repudiantes, potulentis, ad ſitim ſedandam, non utuntur, ſed eadem, nulla urgente ſiti, neſcio, qua uoluptatis commoti perſuaſione, cum ſummo proſperae ualetudinis, pecuniae & fortunarum diſpendio, aſſidue ac conſtanter, maiore atque inimica corpori copia, ingurgitant. Eo dementia atque inſania multorum hominum proceſſit, ut non ſolum uberiorem potulentorum ingurgitationem, laude atque approbatione dignam iudicent, ſed gloriae etiam ſibi ducant, ſi alios liberiore ac largiore poculorum maiorum affatim hauſtorum ingurgitatione uincere, (cum tamen eosdem dolium

(r) lib. Epidem. 6. Sect. 4. conf. Sponius, nou. Aphor. Sect. 4. §. 72. p. 266. & 267.

um tandem ſuperet,) ualeant. Ex omnibus eorum, quae patrant, facinoribus, ac, quae acquirunt, praemiis, ampliſſimum eſt, ebrietas, & hanc comitans proſperae iactura ualetudinis, ac miſer ad incitas plane redactus bonorum & rerum domeſticarum ſtatus; ingentia uaſa, miro hunc in uſum parata artificio, geminis anheli manibus apprehendunt, eaque diductis euacuantes faucibus, corpus inutili ſuperfluorum humorum copia onerant, debilitant, ac fere opprimunt, & ſuffocant, ita, ut uel ſumma hinc toti corpori labes, torpor ac ſtupor accerſatur, uel ea, quae modo largius in ſanitatis corruptionem ingurgitata, denuo ui atque impetu, per uomitum reiiciantur, corrupto uino, proſtrato uentriculi tono, labefactata proſpera totius corporis ualetudine, ac laeſa mentis integritate. Quibus hinc ſerio inculcandum diſcrimen inter uoluptatem & uirtutem, dilucide demonſtrando, quod uoluptas nullum habeat cum uirtute commercium, & quod, uti optime Galli ſequenti exprimunt prouerbio, *le plaiſir & la vertu ſont incompatibles*; fallit enim uitium ſpecie uirtutis & umbra, cum ſit triſte habitu uultuque & ueſte ſeuerum.

VIII. Non multum, imo nihil plane huiusmodi hominum mores, ab illa uitae ratione ac conſuetudine differunt, qua gentes illae in Canada, Irockae dictae, teſte Lib. Barone *de l'*HONTAN, (s) delectantur, quae crapulam pro re innocentiſſima habentes, nos irrident, quod eandem pro magno reputantes crimine, ſupplicio plane dignam arbitremur. Horum partibus maxime fauet ALBERTVS HENRICVS DE SALLENGRE, (t) qui nullus dubitauit, ebrietatis defenſio-

(s) *Voyages dans l'Amerique Septentrionale, Tom. II. p.* 25. *&* 26. (t) prodiit hic tractatus Lugduni Batauorum, & Hagae Comitum, in 8uo, 1714. 1715. ſub titulo: *l'Eloge de l'Yvreſſe.* Eodem idem anno, in linguam Batauam translatus, & *Bachus op Ziin Troon* appellatus, item, dialecto Britannica, & demum Germanica, 1724. editus fuit.

ſenſionem in ſe ſuſcipere, eamque miris peculiari tractatu laudibus efferre. Eſt hoc modo crapula, ex peruerſorum iudicio hominum, quod pariter iam ſuo tempore agnouit atque obſeruauit CORNARVS, (u) res liberalis ac honore proſequenda, uita uero ſobria in ſordidarum ſeriem actionum, quae nullius pretii, & contemtu dignae ſunt, refertur. Haec ſecum reputans, futuraque iam aduertens, nobilis ille Venetus, miſeram atque infelicem appellat Italiam. O miſeram infelicemque, cum eodem exclamo, Europam! O miſerum infelicem totum terrarum orbem! non attendis, crapulam quotannis tibi plures eripere homines, quam poſſet e medio tollere uel tempus grauiſſimae peſtis, uel multi armorum conflictus. Gula certe, & largiore poculorum uſu, abuſu potius, plures praematura e uiuis ſurripiuntur morte, quam igne & gladio, ad quae reſpiciens FRANCISCVS DE VICTORIA, (x) ſequenti meditatione poetica praematuram, quae ex crapula ſaepiſſime oritur, multorum hominum perniciem atque interitum indicauit:

Enſe cadunt multi, perimit ſed crapula plures,
Nec facit ad multos crapula multa dies.

Quis igitur adeo deteſtabili erit animo, imo inſanus plane, ut uitium, omnium turpiſſimum, ebrietatem, laudare audeat? eminet enim inter turpia uitium, inter uitia ebrietas. Ab ea uero gente omnia manant ſcelera, apud quam uitia religioſa ſunt, eaque non modo non uitantur, ſed etiam coluntur; hinc, ut Graeci cenſent, ἀφόρητος γίνεται κακία ἐπαινουμένη, laudata ferri non poteſt peruerſitas. O Gripe, Gripe, PLAVTI eſt monitum, in aetate hominum plurimae fiunt tranſennae, ubi decipiuntur doliis.

IX. His

(u) Tractatu, de uitae ſobriae commodis, a Leſſio, ex Italico in Latinum tranſlato. (x) in Relect. Moral. 10. de homicid. p. 164.

IX. His & pluribus aliis, quas commemoraui, rationibus commotus, nullus affirmare dubito, melius eſſe, in potulentorum uſu deficere, quam excedere, cum ex ſententia ISOCRATIS, αἱ μετριότητες μᾶλλον ἐν ταῖς ἐνδείαις, ἢ ταῖς ὑπερβολαῖς ἰσχύουσιν, hoc eſt, mediocritas propius ad id, quod minus eſt, accedat. Minus igitur in poculorum uſu ſeligens, mediocritatem quam maxime amplectaris; mediocritas enim, omnis centrum proſperitatis, proſperae uita ualetudinis, commodae anima uitae, atque imminentium antidotus morborum, exiſtit. Quam pariter ſententiam de mediocritate Hiſpani fouentes, eandem omnibus de meliori ſequenti commendarunt prouerbio:

Si quieres uiuir ſano,
Harte Vieio temprano.

Plurimos enim, uti recte AMBROSIVS loquitur, gula ſua occidit, nullum frugalitas; innumeris uina nocuerunt, nulli parſimonia; plerique inter epulas fudere animas, & menſas proprio repleuere ſanguine; alios in crimen egit ebrietas, &, ſi ipſa crimen non ſit, alios ad egeſtatem redegit. Parcior certe, ad ſitim ſedandam, & tuendam ſanitatem, potus ſufficit, ac raro, ſi unquam, aliquis paucis alimentis & potulentis contentus, in morbum incidet, cum contrarium in heluonibus aduertamus. Potulenta hac ratione, quae optima alias ſanitatis praeſidia, iucundaque morborum remedia ſunt, peſſima atque humanae uitae omnino infeſta uenena deteſtando abuſu redduntur, ac pocula, quae conſeruandae proſperae ualetudini debent ſeruire partim, partim in aliorum ſalutem uberiore deglutiuntur copia, plurium infirmitatum, miſerae uitae, ac praematuri auctores interitus, euadunt, accerſita ante tempus ſenectute, ſenectutisque praematurae incommodis; ſanitas enim ſemel amiſſa, irreparabile eſt bonum. Reſiſtendum itaque morbis, reſiſtendum ex CATONIS (y) conſilio, ſenectuti, eiusque uitia dili-

 gentia

(y) apud Ciceronem de Senectute. p. 152.

gentia compenſanda ſunt, pugnandum tanquam contra morbum, ſic contra ſenectutem; habenda ratio ualetudinis; utendum exercitationibus modicis; tantum cibi ac potionis adhibendum, ut reficiantur uires, non opprimantur.

X. Arridet nobis quam maxime longus morbisque liber primorum hominum aetatis curſus; laudamus eorum mores, corporis robur, animi tranquillitatem, concordiam, pietatem; approbamus eorum uiuendi rationem, uictus ſimplicitatem, temperantiam, abſtinentiam, labores, atque exercitia; eandem, quam illi obtinuerunt, uirium, ſanitatis, uitae ac fortunae, incolumitatem, proſperitatem, commoditatem & conſtantiam, diuturnaque ac morborum expertia tempora, deſideramus; uerum enim uero ſubſidia, quorum ſumma, ad allegata emolumenta acquirenda, & tuenda, neceſſitas, negligimus, repudiamus, atque auerſamur; laudamus, inquam, ut cum OVIDIO (z) loquar, ueteres, ſed noſtris utimur annis. Hinc lacrymae illae, hinc tam frequens, tam uehemens grauiſſimorum morborum impetus, uis, ac ferocia; hinc plurimi homines, per totius uitae decurſum, innumeris animi corporisque calamitatibus miſera affliguntur atque excruciantur ratione, ac perpauci ex mortalium numero, ad deſtinatam, cuius flagranti omnes tenemur deſiderio, annorum metam perueniunt. Si in horum, quae modo attigi, quaeque grauiſſime humanum genus afficiunt, incommodorum, originem, & cauſas, inquiras, easdem antecedentibus iam delineatas atque explicatas inuenies, ac, ſi eadem tibi non ſufficiunt, CELSVM, (a) quaeſo, audias, audias pariter DEMOCRITVM, quorum ille, uerique ſimile eſt, inquit, inter non multa auxilia aduerſae ualetudinis, plerumque tamen eam bonam contigiſſe, ob bonos mores, quos neque deſidia, neque luxuria uitiarant. Siquidem haec duo

(z) Libr. I. Faſtor. (a) Praefat. lib. I. mox ab initio, ed. cit. p. 2.

duo corpora, prius in Graecia, deinde apud nos afflixerunt; ideoque multiplex illa medicina, neque olim, neque apud alias gentes neceſſaria, uix aliquot e nobis ad ſenectutis principia deducit. Eadem probat, ac perſpicuis uerbis ob oculos ponit DEMOCRITVS, ſequenti ratione hominum intemperantiam improbans: *ὑγίειαν ἔχειν παρὰ Θεοῦ αἰτοῦνται οἱ ἄνθρωποι, τὴν δὲ ταύτης δύναμιν παρ' ἑαυτοῖς ἔχοντες, οὐκ ἴσασιν, ἀκρασίᾳ γὰρ τὰ ἐναντία πράσσοντες αὐτοὶ προδόται τῆς ὑγείας γίνονται*, homines ſcilicet, a Deo ſanitatem petunt, ignorant autem, quod eius poteſtatem penes ſe habeant; nam incontinentia, ei aduerſa facientes, ipſi proſperae proditores ualetudinis fiunt.

XI. Ex his igitur, quod omnibus prudentibus ac rerum medicarum peritis iam eſt in confeſſo, intelligitur, certa proſperae ualetudinis praeſidia, optimaque uegetae ſenectutis adminicula, ac tutiſſima morborum imminentium prophylactica, praeſentium antidota, non in uaria multiplicium remediorum farragine & ſupellectili, multo minus in quotidiana eorum deglutitione atque applicatione, ſed in congruo potulentorum, motus, ac ceterarum rerum, quae huc referendae, uſu, eſſe quaerenda. Haud leue hoc modo, ſi ad ea, quorum modo iniecta mentio, ſedula attendis cura, ac praeterita cum praeſentibus certo apte coniungis atque expendis ordine, inter priſcae hodiernaeque ſtatum medicinae, diſcrimen obſeruabis; nec obſcurae eſſe poſſunt, ſatis notae potius ſunt ex antecedentibus, tam multiplicium, tam grauium, quae homines uariis dolorum tormentis miſere affligunt, infirmitatum cauſae; plures, inquit, VERNVLAEVS, ac difficiliores animi corporisque morbos ebrietas atque illa immodica potatio hominibus inducit, quam quisquam medicorum unquam excogitauit. Vberiorem horum catalogum atque exactam deſcriptionem ſuppeditat nobis SENECA, (b) medicina quondam, ſcribens, paucarum fuit ſcientia

(b) Epiſt. 95. Oper. ed. cit. p. 599.

entia herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, uulnera coirent paulatim, quae deinde peruenit ad hanc multiplicem uarietatem. Nec mirum, tum illam minus negotii habuiſſe firmis adhuc ſolidisque corporibus, & facili cibo potuque, nec per artem uoluptatemque corrupto. Qui, poſtquam coepit non ad tollendam, ſed ad irritandam famem ſitimque, quaeri, inuentae ſunt mille conditurae, quibus auiditas excitaretur; quae deſiderantibus alimenta & potulenta erant, onera ſunt plenis. Inde pallor & neruorum uino madentium tremor, miſerabilior ex cruditatibus, quam ex fame ſitique, macies; inde incerti labantium pedes, & ſemper qualis ab ebrietate titubatio, inde in totam cutem humor admiſſus diſtentusque uenter, dum male aſſueſcit plus capere, quam poterat; unde ſuffuſio luridae bilis & decolor uultus, neruorumque ſine ſenſu iacentium torpor, aut palpitatio ſine intermiſſione uibrantium. Quid capitis uertigines dicam? quid oculorum auriumque tormenta & cerebri uerminantis aeſtuationes, & omnia, per quae exonerantur, internis ulceribus affecta? Innumerabilia praeterea febrium genera, aliarum impetu ſaeuientium, aliarum tenui peſte repentium, aliarum cum horrore & multa membrorum quaſſatione uenientium. Quid alios referam innumerabiles morbos, ſupplicia luxuriae? Immunes erant ab iſtis malis, qui nondum ſe deliciis ſoluerant, qui ſibi imperabant, ſibi miniſtrabant. In exitium ita, plures homines, largiora, quam corporis exigit conſeruatio, potulenta hauriunt, gulaeque ſeruientes, ſerui omnium flagitiorum exiſtunt, ac neceſſariam corporis curam negligentes, accerſendo accelerandoque interitui operam nauant; ne uaſtum quidem mare, ſcribit DREXELIVS, (c) una cum omnibus fluuiis tot homines abſorbent atque abripiunt, quam uinum & cereuiſia. Multi hoc modo, nimiam potus

(c) Lib. 2. de Ieiunio, cap. 10.

potus quantitatem ingurgitantes, cito terrae demerſi occultantur, multi ſolidis fluidisque machinae humanae partibus corruptis, praeter innumera alia mala, catarrhis maxime periculoſis & moleſtis anſam & nouum quotidie fomitem ſuppeditantes, quam proxime ad cadauerum naturam, uiui adhuc accedunt, uti pereleganter, DOL'AEVS (d) in explicatione catarrhi ſuffocatiui, & aliorum huc pertinentium morborum, occupatus, ſequentibus indicauit: eorum, quae dico, ex olido ganeorum grege documentum ſumite, qui hordeaceo uernaculi liquoris potu in popinis ſe ſaginant, quam illi foedam ex impuriſſimo corpore animam exhalant, quam inquieto turbulentoque ſpiritu aguntur, quanta in ingeniis hebetudo, in ſenſibus ſtupor, in membris languor? quanta cerebri inundatio? Vt enim, quando terra largiore perfuſa imbre humectatur, lintea chartaeque flacceſcunt, paludes & cloacae foedam animam exhalant, ita liquefactis diffuſisque toto corpore potulentis, pectora & fauces catarrhis obſidentur, tinniunt aures, lippiunt oculi, pulmones tuſſi, caput uertigine tentatur, nerui muſculique fluxu humorum lubrici podagricis doloribus infeſtantur, quae omnia effectus ſunt largioris poculi. Hinc optime CRATO heluones catarrhis obnoxios appellat. En egregiam malorum, quae pocula ſanitatis comitantur & ſequuntur, ſegetem ac materiam! en perſpicuam pariter eorum deſcriptionem! en, quam egregia, quam neceſſaria, ad ſanitatis conſeruationem, ac morborum medelam, uirtus, ſit ſobrietas, ac temperantia!

XII. Certa utique & eximia ſobrietatis ac temperantiae ſunt praemia, atque ampliſſimi dehinc uberrimique, in illius cultores ac fautores, fructus redundant; illi quippe non proſpera

(d) Oper. quae in fol. 1703. Francofurti ad Moenum prodierunt, Encyclopaed. med. lib. I. cap. 14. p. 117.

ſpera modo conſtantique fruuntur ualetudine; ſed omnis quoque expertes infirmitatis ad ſummam uegeti perueniunt ſenectutem. Certe, ſi σωφροσύνη, ὡς σώζουσα τὴν φρόνησιν, uti loquitur MENANDER, (e) ταμεῖον ἀρετῆς ἐστὶν, eadem rei conuenientia, ac certitudine, ſobrietatem, proſperae praeſidium ac propugnaculum ualetudinis, & ſubſidiorum eidem cuſtodiendae ſeruientium promptuarium, appellare poſſumus. Tali modo, ſobrietatis beneficio, ad extremam ſenectutem peruenit Atticus, tantaque, teſte CORNELIO NEPOTE, (f) ualetudinis proſperitate uſus eſt, ut annos triginta medicina non indiguerit. De Andrea Tiraquello, magni IureConſulto nominis, qui quadraginta quinque libros conſcripſit, & totidem liberos procreauit, SCAEVOLA SAMARTHANVS (g) refert, quod temperantiae pariter miniſterio Senex plane obierit, & animo ſemper placido ac ſereno tranquillitatem quandam ac benignam ueluti temperiem in omni uita conſtantiſſime retinuerit, neque temere, aut ira, aut quauis alia grauiore perturbatione commotus fuerit. Quod Aſclepiades Pruſienſis, ſola diaeta, plures morbos, ſumma cum laude, curarit, ac uitam, ui atque auxilio ſobrietatis, ad ultimum perduxerit ſenium, apud RODERICVM A CASTRO (h) relatum legimus. Hanc Aſclepiadis medendi methodum approbat quoque CELSVS, (i) qui, enumeratis aliquot medicamentorum inuentoribus, haec ſubiungit, horum autem, (nempe remediorum,) uſum, ex magna parte Aſclepiades, non ſine cauſa, ſuſtulit, &, cum omnia fere medicamenta ſtomachum laedant, malique ſucci ſint, ad ipſius uictus rationem potius omnem curam ſuam tranſtulit. Hunc temperantiae fructum, praeter homines, qui ante diluuium, plura annorum centenaria uixerunt, plures

(e) apud Stobaeum, orat. 5. (f) in Vita Attici, cap. 21. §. 1. (g) in Vita Tiraquelli, p. 31. (h) Medico Politico, lib. 1. cap. 8. p. m. 26. (i) Libr. V. Praefat. edit. citat. p. 255.

plures alii adhuc experti ſunt. Q. Fabius maximus, uir prudens, atque a Romanis Cunctator appellatus, honoris gratia, quaſi dilator, de quo ENNIVS, unus homo nobis cunctando, hoc eſt, occaſionem aucupando, & modeſte agendo, reſtituit rem, cum in omnibus uitae partibus, uti ſcribit VERVLAMIVS, (k) moderatus, ac cum comitate ſeuerus eſſet, octogenario maior occubuit. M. Porcius Cato, Cenſor dictus, Quaeſtor, Aedilis, Praetor, ac Pro-Conſul Romanus, agriculturae & ſobrietati deditus, ſibi & ſuae familiae fuit medicus, atque annum nonageſimum, temperanter uiuendo, ſuperauit; nam, in ampla fortuna, tenui contentus uictu, ex rapis iucundiſſimum ſua manu ſibi parabat obſonium, atque in exercitu, cum ſitiret, fere ſemper bibebat aquam. Gorgias Leontinus, annos centum & octo ſobrie uiuens, paulo ante mortem, nihil ſe habere, quod ſenectutem incuſaret, dixit. Horum emolumentorum Cornarus pariter particeps fuit redditus, qui, cum antea uariis grauibusque morbis, tum debilioris culpa conſtitutionis, tum peruerſi uitio uictus, laboraret, nec ullum ex adhibitis remediis commodum ſolatiumque ſentiret, transmutata in uitam ſobriam intemperantia, ab omni deinceps immunis incommodo per plures annos ſanus ac robuſtus uixit, atque anno aetatis nonageſimo quinto, uegetus adhuc & alacris, non dubitauit ſcripto, quod edidit, publico, aſſerere, ſe multos adhuc annos uicturum, proſpera praeditum ualetudine, fruendo huius mundi aſpectu & pulchritudine, & ſperando, ſe idem facturum per gratiam Dei in altero, idque totum adminiculo uirtutis, & ſanctae ſobrietatis, cui ſe addixerat, amicum conſtituens rationis, & inimicum ſenſus atque appetitus. Quod omnino cuilibet facile eſt factu, ſi uult uiuere, prout decet hominem. Nihil autem magis, ex allegati auctoris ſententia, atque experientia, morbis generandis, accelerandoque uitae termino, fauet, quam uberior potulentorum uſus; prodeſt hinc nihil, quod non laedere poſſit idem.

XIII. Verum enim uero, hanc uitae rationem nimis aſpe-

ram ac duram, omnique commoditati & iucunditati aduerſam eſſe, multi pronunciabunt, allegantes ea, quae inter ſanitatis praecepta retulit PLVTARCHVS, (k) hiſce uſus: ἓν γὰρ εἰρημένον, τὸ ἑλοῦ βίον τὸν ἄριστον, ἡδὺν δὲ αὐτὸν ἡ συνήθεια ποιήσει, elige nempe optimum uitae genus, iucundum illud conſuetudo reddet. τὸ ἄριστον uero, & ἡδὺ, hoc eſt, optimum, & iucundum, ſi ſanae obtemperas rationi, in ſobrietate, temperantia, eoque, qui antecedentibus commendatus, uiuendi more, ac modo, inuenies; &, ſi quaedam te haec exercentem in principio moleſtia ac difficultas uexat, detinet & demoratur, tu contra audentior eundo, ac pergendo, deſiderata deinceps facilitate ac delectatione frueris. Nec medice uiuere, uti a multis in ſalutaris opprobrium artis dicitur, eſt peſſime, ſed optime, ex ſanae nimirum conſilio mentis, uiuere; hoc enim prouerbium, niſi ad calamitates, quas illuſtris Medicaeorum familia ſuſtinuit, applicetur, non miſerum, ſed bene diſpoſitum rerum, quibus uita ſuſtentatur, ordinem, atque uſum, denotat, illisque hominibus ſaltem miſer uidetur, qui recta non utentes ratione, impetui atque appetitui magis, quam bruta, indulgent, & plane ſeruiunt. At enim uero, nimis exquiſitam, regeris, uictus rationem, non moleſtam modo mortalibus, ſed proſperae quoque inimicam ualetudini eſſe, tot docent exempla, ac tot periti doctique affirmant medici; natura quidem paucis contenta eſt, requirit tamen ſuum demenſum, nec uult ſuo defraudari genio. Tenuis, ſcribit SVALVE, (l) atque accurata admodum diaeta, ſanis periculoſa eſt, illique ipſius delicta cum uentriculo grauius ferunt. Inficias quidem ire nequeo, quod ſanus homo, ex CELSI (m) conſilio, qui & bene ualet, & ſuae ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debeat, ac neque medico neque iatroalipta egere; modo ruri eſſe, modo in urbe, ſaepiusque in agro, nauigare, uenari, quieſcere interdum,

(k) Libr. de tuenda ſanitate, Oper. a Xylandro, in fol. ed. Tom. 2. p. 123.
(l) In Querelis Ventriculi p. 90. (m) lib. 1. cap. 1. ed. cit. p. 21. & 22.

dum, ſed frequenter ſe exercere; nullum cibi potusque genus fugere, quo populus utatur; interdum in conuictu eſſe, interdum ab eodem ſe retrahere; modo plus iuſto, modo non amplius aſſumere. Longe alia autem res eſt, nimis tenuem adhibere diaetam, hoc eſt, neceſſaria corpori alimenta & potulenta ſubtrahere, ac denegare, & medicum medicamentaque, quando recte ualemus, adhibere; alia contra, ſobrietatis ac temperantiae ſtudio, ſanitatem ſartam tectamque conſeruare; quod probe perſpexit OWENVS, (n) congruam uictus rationem ſequentibus commendans: uiuere naturae ſi conuenienter amarent mortales, medica nihil opus eſſet ope. Si ſaperent homines, rixis, auidisque cauerent litibus, & queruli garrulitate fori. Sic incompoſitus poſt ſcrinia Bartolus iret, & mus illectum roderet Hippocratem. Sed nitimur in uetitum, cupimusque negata, imo pernicioſa, ac ſanitati infenſa.

XIV. Multi dehinc, quibus nihil prius, nihil iucundius, nihil antiquius, quam certare mero, & cyathos uerſare capaces, in uerbis illuſtris HOFFMANNI, (o) docentis, largiorem ciborum deglutitionem plus negotii faceſſere, quam potum affatim hauſtum, crapulae ac largiorum poculorum defenſionem & patrocinium quaerunt. Haec ſententia, antiquiſſimum HIPPOCRATIS (p) ſcitum uidetur eſſe, affirmantis: ῥᾷον πληρȣ̃σθαι ποτȣ̃, ἢ σιτίȣ. Hic uero ante omnia conſiderandum, duplicem huius aphoriſmi interpretationem proſtare, aliam, qua indicatur, quod homo facilius repletionem a potu, quam a cibo inductam, ferat; aliam, quae innuit, citius reſtaurari uires potulentis, quam alimentis. Vnde idem, (q) humectantia, ad celerem nutrimenti & uirium reſtaurationem commendans, ait: ὁκόσοι ταχέης προσθέσιος

δέονται,

(n) Lib. 3. epigram. 123. p. 86. & 87. (o) Fundament. Med. Halae 1703. in 8uo ed. Hygieines cap. 2. §. 22. p. 153. (p) Sect. 2. aphor. 11. (q) lib. de Aliment. conf. Sponius, lib. cit. Sect. 4. aphor. 8. p. 208. & 209.

δέονται, ὑγρὸν ἴημα εἰς ἀνάληψιν δυνάμιος κράτιστον, ὁκόσοι δ' ἔτι ταχυτέρης, δι' ὀσφρήσιος. Licet uero certum atque euictum ſit, quod tanta uiſcerum uis atque actio ad potulenta mutanda, aſſimilanda, ſecernenda, atque excernenda, neceſſaria non ſit, quantam ſolida requirunt & poſtulant alimenta; licet etiam potulenta, cumprimis ſpirituoſis praedita particulis, periſtalticum uentriculi totiusque canalis alimentorum motum augendo, citius denuo e primis uiis, totoque ſanguine, ac corpore, ſecedant, nec tantam ſemper cruditatum copiam, quam alimenta ſolida, uberiore copia aſſumta, relinquant, minime tamen leuia cenſenda ſunt mala, quae largiorem potulentorum ingurgitationem ſequuntur. Quinimo, ex ſententia CONRINGII, (r) plus, quam cibus, damni dat, potus, qualis ille nunc quidem in conſuetudinem eſt receptus. Neque uero mirum eſt, maiorem turbandi corporis uim potulentis, quam cibo ſicco, ineſſe, nam, *ἡ τοιαύτη τροφὴ*, dicente ARISTOTELE, (s) *κυριωτέρα τῆς ξηρᾶς ἐστι, τῷ πλεῖστον εἶναι καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν σιτίων τὸ ὑγρὸν γίνεσθαι τροφήν.* Quot hoc modo reperiuntur, qui, dum ſibi ſuaeque ſanitati, largiore potulentorum uſu opem ferre geſtiunt, in grauia incidunt mala? Quot, perfecta integraque omnino ualetudine fruentes, ſola, eaque largiore poculorum ſanitatis ingurgitatione, aut deglutito potu minus accommodato, continuis & intermittentibus affliguntur febribus, aliasque lethales ſibi accerſunt infirmitates. Ex largiore ita potus copia febricitauit, & magna ſiti affectus fuit heluo apud CELSVM, (t) cui, cum poſt ebrietatem eum premi coepiſſe, Caſſius, medicus ingenioſiſſimus, cognoſceret, aquam frigidam ingeſſit; qua ille epota, & hinc uini uiribus miſcendo fractis, protinus febrem ſomno & ſudore diſcuſſit. Reſpondet his hiſtoria TIMAEI

(r) De habitus corporum Germanorum antiqui ac noui cauſis, edit. Helmſtad. in 4to, de ann. 1666. p. 106. (s) Sect. 1. Problemate 15. (t) Lib. 1. Praefat. edit. citat. p. 19.

MAEI A GVLDENKLEE, (u) referentis, quod magiſter quidam equitum, homo intemperans, gurges ac heluo, fruges conſumere natus, cum, ſolemni bibulorum feſto, quod bachanalia uulgus uocat, uino generoſo largius ſe inuitaſſet, in capitis dolorem inciderit, adeo uehementem, ut Cyclopes in cerebrum migraſſe putaret, dieſque noctesque inſomnes duceret, non ſine magna mentis anxietate & perturbatione. Peiora adhuc & acerbiora ſunt, quae de ebrietate, repentini cauſa interitus, funeſto confirmata exemplo, ZACVTVS LVSITANVS (x) habet. Studioſus pariter, teſte SALMVTHO, (y) Vitemberga Serueſtam proficiſcens, cum tres cereuiſiae menſuras ieiunus bibiſſet, maximam primum totius corporis laſſitudinem, dolorem dehinc, circa inguen ſiniſtrum, intenſiſſimum, in hydrocelem abeuntem, ſentit, atque experitur. Attila, Hunnorum rex, cum largiore, quod ingurgitauerat, uino madidus preſſusque dormiret, ſanguinis copia oppreſſus & ſuffocatus periit. Alexander Imperator, Leonis Quinti frater, ebrietati ſemper deditus, tantam hinc uaſorum ſanguiferorum laeſionem & haemorrhagiam paſſus eſt, ut diei ſpatio ex hoc morbo obierit. De Campano quodam nobili, GVIDO PATINVS, medicus Pariſienſis, refert apud BONETVM, (z) quod idem, uino multo, eoque meraciore, uſus, ἀναισθησίᾳ & fugaci delirio extinctus ſit. Adoleſcentis, qui ſibi febrem continuam mali moris, uini abuſu, accerſiuerat, exemplum, ſiſtit BRAVO. (a) Noui puerum, ſcribit DOLAEVS, (b) qui a ſpiritu uini, uiceſies in epilepſiam incidit. Limburgi ad Lanum, tradit modo citatus auctor, (c) ubi Aeſculapio primitia praxeos noſtrae

(u) Oper. Lipſiae, in 4to, 1715. ed. lib. 1. caſ. 5. p. 9. (x) Prax. Admir. lib. 3. obſ. 15. (y) Obſeruat. medic. quae cum Conringii Praefat. Brunſuigae 1648. in 4to, prodierunt, Centur. 3. Obſ. 93. p. 156. (z) Anatom. Pract. Tom. I. lib. 1. Sect. 13. Obſ. 7. p. 275. (a) Reſolut. ac Conſult. med. Tom. II. Part. 6. conſult. 16. §. 1. & 2. p. 662. & ſequ. (b) Oper. edit. cit. Encyclop. med. l. 1. c. 11. p. 91. (c) Oper. tr. & edit. cit. lib. 1. cap. 9. p. 69.

ſtrae perſoluimus, ante aliquot annos foemina quaedam, febre tertiana duplici correpta, cum uinum, ad Tantaleam ſitim explendam, hauſiſſet, propediem inſultum epilepticum experta fuit. Lethargo & caro ebrietatem dediſſe anſam, mortisque mox ſecutae fuiſſe auctorem, idem, (d) exemplo iuuenis, pharmacopoei, Hanouiae extincti, confirmat. Iuuenes quosdam, largiore poculorum uſu, amentiam atque inſaniam contraxiſſe, ATHENAEVS (e) teſtatur. Multos Germanos, in conuentu Ratisbonenſi, nimia compotatione, repentina obiiſſe morte, KIRCHERVS (f) commemorat. Coecitatem ſibi largioribus poculis Luſcus, uti ad Aulum MARTIALIS ſcribit, conciliauit; potor nobilis, ſunt eius uerba, Aule, lumine uno, Luſcus, Phryx erat, alteroque lippus; huic dicit medicus, bibas, caueto, uinum, ſi biberis, nihil uidebis. Ridens Phryx, oculo ualebis, inquit, miſceri ſibi protinus deunces, ſed crebros, iubet, exitum requiris? uinum Phryx, oculus bibit uenenum. Qui tamen laetus canebat: perdere dulcius eſt potando, quam ut mea ſeruarem erodenda pigris lumina uermiculis. Dignus hoc erat ſocius, potator ille maximus, cuius propoſitum, in taberna mori, ac uinum apponere ſitienti ori; unde eidem inſana perpotandi dulcedine interemto, ſequens in Italia epitaphium merito poſitum legitur: uina dabant uitam, mortem mihi uina dedere, ſobrius auroram cernere non potui. Oſſa merum ſitiunt, uino conſperge ſepulchrum, & calice epoto, chare uiator, abi. Grauiora adhuc fuerunt Macedonum fata, qui, teſte CVRTIO, (g) magna in Suſitanis ſiti affecti, intemperantius haurientes potum, intercluſo ſpritu, extincti fuerunt, ita ut multo maior horum numerus fuerit, quam ullo Alexander amiſerit praelio. Non latuiſſe HIPPOCRA-

TEM,

(d) Tr. & ed. cit. l. 1. c. 5. p. 42. (e) Deipnoſoph. lib. 2. c. 2. ed. in fol. cum Dalechampii & Caſauboni comment. p. 37. (f) de legat. c. 3. n. 31. (g) de rebus Alexandri Magni, lib. 7. cap. 5. §. 15.

TEM (h) noſtrum incommoda, quae ebrietatem ſequuntur, ſed eundem potius, ex fideli ac frequenti, quem deteſtandum hoc uitium habet, euentu, eadem accuratius cognouiſſe, ſequentia illius uerba docent: *ἢν μεθύων ἐξαίφνης ἄφωνός τις γένηται, σπασθεὶς ἀποθνήσκει, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ, ἢ ἐς τὴν ὥρην ἐλθὼν, καθ' ἣν αἱ κραιπάλαι λύονται, φθέγξηται.* Ita pariter idem, (i) alio loco, indicat: *ἐκ πολυποσίης ῥῖγος καὶ παραφροσύνη, κακόν.*

XV. Nihil hinc, his, quae multorum pericula ac funeſta exempla docuerunt, examinatis, mihi mirabilius, ac fide fere indignum uiſum fuit, quam, quod fuerint, & ſint adhuc inter medicos quidam, qui piorum & prudentum nomen affectantes, crapulam quandoque proficuam eſſe, eamque perficiendae horum illorumue morborum medelae ſeruire, perhibent. Hoc conſilium, ex medicis antiquis, AVICENNA (k) & RASIS, (l) dederunt, nullique erubuerunt affirmare, ebrietatem, quouis menſe ſemel contractam, ſubſidiis, quae ſeruandae ſanitati conueniunt, annumerandam eſſe. His ſubſcribit MNESITHEVS, (m) medicus Athenienſis; hac uſus ſententia: quodam dierum interuallo inebriari, uidetur mihi corpus expurgare, & animum recreare. Plura quoque commoda largiori compotationi ATHENAEVS (n) tribuit. Cothoniſmo, cuius deſcriptionem IVLIVS POLLVX (o) tradit, Lacones, cuſtodiendae ſanitatis ergo, utebantur, hoc eſt, Cothone, (a quo, *κωθωνίσαι*, inebriari,) poculo fictili, uinum meracius continente, frequenter euacuato, ebrietatem, & deinceps uomitum, procurabant, ea penitus ratione, uti eleganter ſequentibus deſcripſit IVVENALIS, (p) nam, ſic tanquam alta in dolia longus deciderit ſerpens, uomit, & bibit. Vel, uti canit MARTIALIS: (q) ille fide ſumma teſtae data uina remen-

ſus

(h) Libro Aphoriſmorum, Sect. 5. §. 5. (i) Sect. 7. aphor. 7. (k) fen. 4. primi capitis. (l) ad Almanſ. lib. 5. cap. 74. (m) in Epiſtola de Cothoniſmo. (n) lib. 11. Deipnoſoph. (o) lib. 6. cap. 8. (p) Satyr. 6. (q) lib. 6. epigr. 89.

ſus reddidit oenophori pondera plena ſui. Et alio iterum loco: (r) nec coenat prius, aut recumbit ante, quam ſeptem uomuit meri deunces. Talem heluonem, qui ἐμετικὴν, ut habet CICERO, (s) exercebat, fuiſſe Vitellium, praeter SVETONIVM, (t) hiſce indicat DIO, ἀπλήστως ἐμφορούμενος, καὶ ξυνεχῶς πάντα ἐξεμῶν, ὡς μόνῃ τῇ παρόδῳ τῶν σιτίων τρέφεσθαι, copioſius nempe ingurgitabat, & aſſidue omnia euomebat, ut ſolo tranſitu ciborum aleretur. Hoc, quouis menſe ſemel uomendi inſtitutum, GALENVS (u) quoque approbat; ac IOANNES LANGIVS (x) eandem cum Galeno ſententiam uidetur fouere, dum, in menſtruae patrocinium ebrietatis, non modo ſcribit, quod nec ſtomachus humorum corporis ſaburram commodius, quam repletus, exonerare poſſit, ſed etiam in epiſtola, quam cum aureo erythrodani poculo ad Cyglerum dedit, uaria crapulae antidota commendarit, his additis: tu igitur, ne abſtemius uiuas, hac ratione uini incommodis obuiam ire poteris. Temulentiam quoque Sapientibus competere, nec ſuo eandem deſtitui fructu, PHILO (y) perhibet, ἐξ ὧν, inquit idem, ὅτι καὶ μεθυσθήσεται, δῆλόν ἐστι, τῆς μέθης, ἠθοποιούσης, καὶ ἄνεσιν καὶ ὠφέλειαν ἐργαζομένης, unde liquet, quod Sapiens etiam inebriabitur, temulentia, bonos mores, animi relaxationem, atque utilitatem, afferente. In catalogo auctorum, qui ad morborum curam hauſta uberius pocula laudant, SENECAM (z) quoque & LIPSIVM (a) inuenio, quorum ille, liberaliorem potionem morbis quibusdam mederi perhibet, hic uero in ſpecie affectibus melancholicis aut frigidis ſuccurere, ad propriam prouocans experientiam, affirmat. Et Solonem, qui inter ſeptem Graeciae Sapientes relatus fuit, largiori po-

culorum

(r) Lib. 7. epigr. 66. (s) lib. 13. epiſtol. ad Atticum. (t) cap. 13. (u) de compoſ. medic. in genere lib. 2. & lib. 4. de utilit. part. (x) Libr. 1. epiſt. 30. a p. 138 ad 140. (y) Oper. quae Francofurti 1691. in fol. prodierunt, lib. de plantat. Noae, p. 238. (z) Oper. ed. cit. lib. de tranquillitat. animi, cap. 15. p. 168. (a) Comment. in libr. Senecae de tranquillitat. animi, ed. cap. & p. cit. not. 332.

culorum uſui indulſiſſe, refert SENECA. (b) Atque ipſe Solon, de ſe loquens, ingenue fatetur: ἔργα δὲ Κυπρογενοῦς νῦν μοι φίλα καὶ Διονύσου. Ebrietatem Catoni obiectam, crimen honeſtum, SENECA (c) uocat, quia interprete LIPSIO, (d) in Catone, uiua uirtutum imagine, nihil inhoneſtum; ac de eodem ſcribit HORATIVS, (e) narratur & priſci Catonis ſaepe mero caluiſſe uirtus. Arceſilaum quoque, uirum, ex DIOGENIS LAERTII (f) teſtimonio, & fortem, & doctum, uberiorem potus ingurgitationem in deliciis habuiſſe, ex SENECA (g) pariter cognoſcimus. At nec Zeno, Stoicorum Princeps, uti habet LIPSIVS, (h) a liberaliore poculorum uſu abhorruit, qui, natura ſeuerus, interrogatus, cur in conuiuio hilareſceret? & lupini, inquit, amari, ubi maduerint, dulceſcunt; idemque, in ebrietatis excuſationem ac defenſionem, aiebat: κρεῖττον εἶναι, τοῖς ποσὶν ὀλισθεῖν, ἢ τῇ γλώττῃ, melius pedibus lapſare, quam lingua. Theophraſtum Paracelſum, ebrietatis pariter fuiſſe patronum, patet ex eiusdem epiſtola ad ſtudioſos Tigurinos, in qua eosdem, teſte HORNBECKIO, (i) combibones optimos appellat. Ad huius caſtra tranſiit PECHLINVS, (k) qui aſotia atque intemperie, uires animi corporisque haud fractas, ſed auctas fuiſſe, tradit, & exemplis confirmare geſtit; ebrietate uero, ait idem, domeſtico nonnullorum uitio, tantum abeſt, ut obſtupeſcant, ut contra ad ſubtiles ſerioſque cogitationum luſus etiam magis erigantur, & τὸ ὕψος, niſi a uino inundatis, non conſtet; nam, uti habet Poeta, laudibus arguitur uini, uinoſus Homerus, Ennius ipſe pater nunquam niſi potus ad arma proſiliit dicenda. Grammaticum ſe uidiſſe, refert FONTECHA,

(b) Oper. edit. cit. lib. de tranquill. animi, p. 168. (c) lib. & pag. cit. (d) Comment. in Senec. lib. de tranquill. edit. & p. cit. not. 339. (e) Lib. 2. Carmin. (f) de uita Arceſilai. (g) lib. & p. cit. (h) eod. lib. & p. not. 338. (i) in Summa Controuerſiarum, de Enthuſiaſtis & Libertinis, p. 401. (k) Obſeruat. phyſico-medic. quae Hamburgi, in quart. 1691. editae, l. 3. Obſeru. 5. p. 401.

CHA, (l) qui, ebrietate correptus, poeticam mire exercebat, cum tamen alias ſobrius, nihil tale feciſſet, uidelicet, ut canit HORATIVS, (m) foecundi calices, quem non fecere diſertum. De Anacreonte, Poeta, Theio, idem teſtatur OVIDIVS, (n) ſit quoque, ſcribens, uinoſi Theia muſa ſenis. Commentum uero Domini DE SALLENGRE, (o) plane iniquum eſt, aſſerentis, ab HIPPOCRATE, ebrietatem, quouis contrahendam menſe, ſanitatis ergo, commendatam fuiſſe, cum idem, nullo ſcriptorum Hippocratis teſtimonio, confirmari queat; quicquid etiam Oda Gallica, (p) Abbatibus Franciae inter pocula, ut ſcribit SALLENGRE, familiaris, huic aduerſi contineat, ex qua unicum uerſum allegaſſe ſufficiet, cum omnium finis ſit idem, Hippocratis ſuffultus teſtimonio, inique allegato: *Chanſon a boire. Je cherche en vin la verité, ſi le vin n'aide a ma foibleſſe, toute la docte Antiquité dans la vin puis à la ſageſſe. Oüi c'eſt par le bon vin que le bon ſens éclate, j'en atteſte Hypocrate, qui dit qu'il faut a chaque mois du moins s'enyvrer une fois.*

XVI. Sed, cum mala non ſint facienda, ut eueniant bona, multo minus mala malis cumulare deceat, nec multitudo peccantium, peccato pariat patrocinium, uti ſequentibus, Germanos iniuſte accuſatos defenſurus, ſimulque plura exempla heluonum omnis dignitatis, generis, gentis, ac ſexus, exhibiturus, demonſtrabo, nullum, ſana praeditum ratione, fore credo, qui ebrietatem, omnium, quotquot inter homines graſſantur, uitiorum deterrimum, defendet, laudabit, atque, ut tutum ſanitatis adminiculum, certumque morborum remedium, commendabit. Nam, ut taceam praematurum tot hominum interitum, largioribus ſaltem poculis tribuendum; ut nihil dicam de diſſoluta uita, quam Apoſtolus PAVLVS (q) ἀσωτίαν dicit, quamque a largiore uini ingurgitatione oriri, perhibet;

ut

(l) Lumin. 2. cap. de ebrietate. (m) Lib. 1. epiſt. 5. uerſ. 19. (n) lib. 3. de arte amandi. (o) lib. cit. ed. German. cap. 3. p. 19. & ſequ. & cap. 13. p. 57. & 58. (p) Fureterianis, p. 205. (q) Epiſtola ad Epheſios cap. 1. uerſ. 18.

ut praeterea non attingam, quod *ἄσωτος*, ex CLEMENTIS ALXANDRINI (r) ſententia, idem denotet, ac *ἄσωστος*, *einer, dem nicht kann gerathen oder geholffen werden*; ut porro transeam apoplexiam, hydropem, phtiſin, arthritidem, podagram, colicam, choleram, fluxum alui, maraſmum, aliaque plura mala; frequentes, ex obſeruatione MARTINI PANSAE, (s) temulentiae fructus; ut plura denique exempla, quae funeſtum, quem crapula habuit, euentum, docent, ac quorum multa, FORESTVS, (t) THOM. BARTHOLINVS, (u) ZACVTVS, (x) FONSECA, (y) & CAROLVS PISO, (z) collegerunt, non attingam; ut tandem etiam omittam, largiore potus, quicunque & qualis etiam ille ſit, quantitate, relaxari diſtendique nimium ſolida, corrumpi fluida, ac plures in toto corpore cruditates coaceruari, innumerasque hinc propullulare infirmitates, ipſasque mentis actiones turbari; ita prae omnibus reliquis attentionem meretur, quod, ſi ebrietas quoque quoddam corpori emolumentum praeberet, animae ſalus, corporis ſaluti, longe ſit praeferenda. Cum uero, non animae duntaxat, ſed corpori etiam, temulentia maxime pernicioſa & periculoſa ſit, eo magis eadem fugienda. Hoc unum aſſeuerare audeo, ſunt uerba IASONIS A PRATIS, (a) nullum ex omni morborum agmine, tam terribilia ſymptomata inducere, quibus non maiora importet ebrietas; nimirum, cum intra uiſcera merum efferueſcit, nullum membrum ſuo officio probe defungitur, caput repletur, cerebrum uertigine rotatur, oculorum auriumque tormenta, inexplanatum linguae murmur, teter oris ſpiritus, uentriculi ſubuerſio, cordis palpitatio, membrorum ſine ſenſu iacentium torpor, neruorum tremor, inquies nocturna, furiales ſomni, mentis exceſ-

 ſus.

(r) Paedag. lib. 2. cap. 1. (s) de prorogand. uita, P. 1. p. 95. (t) Lib. 9. Obſ. 27. (u) Centur. 3. hiſtor. 56. (x) Lib. 3. Prax. (y) Lib. 11. conſ. 89. (z) Lib. de morb. e ſeroſa colluuie, p. 88. (a) Tract. de Vteris, Amſtelodami, in 12mo, 1657. ed. lib. 2. cap. 3. p. 196.

ſus. His niſus SENECA, antecedentium plane immemor, (b) ebrios ad claſſem inſanorum refert, extende, dicens, in plures dies illum ebrii habitum, quis de furore dubitabit, nunc minor non eſt, ſed breuior. Refer Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum, cariſſimum ſibi ac fideliſſimum, inter epulas transfodit, & intellecto facinore mori uoluit, certe debuit. Omne uitium ebrietas & incendit, & detegit, obſtantem malis conatibus uerecundiam remouet. Plures enim pudore peccandi, quam bona uoluntate, prohibitis abſtinent. Vbi poſſedit animum nimia uis uini, quidquid mali latebat, emergit. Non facit ebrietas uitia, ſed protrahit; tunc libidinoſus ne cubiculum quidem expectat, ſed cupiditatibus ſuis, quantum petierint, ſine dilatione permittit; tunc impudicus morbum profitetur ac publicat; tunc petulans non linguam, non manum, continet; creſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſaeuo, malignitas liuido; omne uitium detegitur, & prodit. Adde illam ignorationem ſui, dubia & parum explanata uerba, incertos oculos, gradum errantem, uertiginem capitis, tecta ipſa mobilia, uelut aliquo turbine circumagente totam domum, ſtomachi tormenta, cum efferueſcit uinum, ac uiſcera ipſa diſtendit. Ebrium hinc, brutum morale, cum IOSEPHO HALL, (c) accommodatiſſime appellare poſſumus. Quid de hoc animali, (homo certe quidem non eſt,) tandem dicemus? Externam adhuc formam habet, habet & cadauer, aeque perfectam; uitam ſortitur inſuper, ſortitur aeque & brutum; rationem aut pro tempore penitus perdidit, aut ita ſaltem prorſus, quoad exercitium, corrupit, uitiauitque, ut ipſa, (fas mihi ſic loqui,) brutalitas, multo minus dedeceat. Certe, beſtia naturalis, eo eſt morali minus odioſa, quo cauſae utriusque differunt magis; illam Deus ipſe fecit, hanc nos quidem; nihil eſt, quod pudeat brutum ſic fuiſſe conditum! hominem

(b) Oper. ed. cit. epiſt. 83. p. 548. (c) Medit. Subit. 130. ed. Londin. pag. 178. & 179.

minem autem eſt quod maxime diſpudeat, in brutum turpiter degeneraſſe. Furor quoque atque amentia in catalogo morborum & malorum, quae poculorum abuſum ſequuntur, a VERNVLAEO (d) primo ponitur loco, hinc phreneſis, ait idem, periculoſiſſima, hinc calculi poena grauiſſima, hinc cruditas exitialis, hinc uiſcerum inflammatio intolerabilis; hinc concreti tenaceſque humores cerebrum obſidentes; hinc uitalium in corpore partium obſtructiones; per eam lippitudo, narium coryza, foetidus halitus; per eam capitis deſtillationes, foedi ſcreatus ac tuſſes, morbi articulares, atque apoplexia; per eam oculorum caligo, uertigo, ſuffuſio; illa robur & uirtutem naturalem eneruat, infirmitatem generat, mortem inducit, &, ut omnia uerbo uno complectar, corpus humanum, foediſſimam turpiſſimorum humorum cloacam, & abominandam nefandiſſimorum uitiorum ſentinam facit. Merito hinc cum OROSIO (e) exclamare tenemur, Dei clementiae eſt, quod uiuimus, quod autem miſere uiuimus, intemperantiae noſtrae!

XVII. Quae omnia, cum ita ſint, quis peruerſa obſeruationum, quas BVDEWINVS, (f), IOSEPHVS HALL, (g) BARCLAIVS, (h) IVLIVS CAPITOLINVS, (i) & PECHLINVS, (k) ſuppeditant, explicatione, eo adducetur, ut, niſi a uero rectoque abalienatus, rei naturae repugnantia probet. Satis notum, refert BVDEWINVS, (l) quod ante annos aliquot, in Hiſpania graſſatus fuerit morbus aliquis epidemicus, cum immaniſſimis, tum uentriculi, tum

 totius

(d) Rhetor. Colleg. Porcenſ. Part. I. Orat. 12. p. 109. (e) aduerſus Paganos lib. 2. cap. 3. (f) in Ventilabro medico, in quaeſt. an medico liceat aegrotum perſuadere, ut ſe inebriet, curandi morbi cauſa? (g) Meditat. ſubit. 135. edit. cit. p. 183. (h) Argenide, quae Amſtelodami, in 12mo, ex officina Elſeuiriana, prodiit, lib. 3. p. 272. & 273. (i) in Hiſtor. Auguſt. Scriptoribus. (k) Obſeruat. Phyſico-Medicarum, lib. I. hiſtor. 63. edit. citat. p. 153. (l) lib. & quaeſt. cit.

totius corporis, torminibus, qui nulla alia ratione, quam potu largiori, ad ebrietatem usque hauſto, fuit curatus. Cauſam eius, inſignem uermium uiuentium copiam, in uentriculo ſtabulantium, poſtea detexit anatomia, qui uino iniecti protinus interierunt. Hoc cum uidiſſent, reliquis morbo adhuc laborantibus, uinum plenis cyathis hauriendum utraque manu praebuerunt, atque eo, omnibus, ſine alterius remedii adminiculo, ſanitatem reddiderunt. Quemadmodum uero ex hac hiſtoria abunde conſtat, quod uinum, accommodata commemoratorum uermium, & morbi hinc prognati, fuerit antidotus, ita hic nullum, ebrietas, nullum, uini abuſus, inuenit aſylum & propugnaculum, cum, quod heluones uini copiae tribuunt, illius qualitati ac naturae in acceptum ſit referendum. Si enim hac argumentandi ratione uti liceret, peraeque idem de eſſentia rhabarbari, aloes, & ſimilis medicamentis indolis, praedicari poſſet, eadem ſcilicet ad ebrietatem usque aſſumenda, procuratamque hiſce remediis ebrietatem, tollendis, qui a uermibus ortum habent, morbis conducere. Ita idem adaeque comparatum cum obſeruatione IOSEPHI HALL, (m) Exonienſis Epiſcopi, ita loquentis: aliquando expertus ſum, ea ipſa, quibus morbum contrahit ſanus, media etiam fuiſſe, quibus aegrotus ſanaretur. Febris quartana, medicorum opprobrium olim, nec immerito audiit, quam tamen, mera crapula, non ſemel ſede ſua pulſam obſeruaui. Obſeruaui autem egomet e contrario, obſeruarunt quoque alii, non ortam ſaltem ex largioribus poculis febrem quartanam, ſed eandem quoque, hoc uitae genere continuato, exaſperatam, & huic hypropem, hydropique ſuccedentem mortem. Atque anile prorſus uulgi praeiudicium eſt, febrem quartanam, medicorum eſſe ſcandalum; eſt utique imperitorum atque imprudentum medicaſtrorum, qui uno eodemque remedio

(m) Lib. & pag. cit.

remedio, diuerſas non modo febres, ſed cuiusuis etiam alios morbos naturae, auſſerre temeraria ſuſcipiunt ratione; medico uero genuino & docto, cuius arcanum in exacta morbi & materiae peccantis cognitione, prudentique & perita remediorum his accommodatorum & ſufficientium applicatione conſiſtit, perinde eſt, quaecunque ſit febris, modo talem agnoſcat originem, ac cauſam, cuius correctio & remotio, ſalutaris miniſterio artis perfici poteſt.

XIIX. Omnibus itaque circumſtantiis, in hiſtoriis aegrotorum, qui per ebrietatem curati dicuntur, accurate examinatis, anquiſitisque, plura inueniemus teſtimonia, atque argumenta, apertiſſima demonſtratione euincentia, quod peſſimum aliquando experimentum, optimum caſu nactum fuerit euentum, aut, quod exoptatus effectus, ebrietati adſcriptus, uel bonae aſſumti potus indoli, aut corporis robori ac ui motrici ſit tribuendus. Et haec probe obſeruanda, & prudenter accommodanda ſunt explicationi experimenti illius, cuius BARCLAIVS (n) facit mentionem, qui Poliarchum, acri quartana pertinaciter affectum, ſiſtens, at Poliarchus, ſcribit, medicinae impatiens, quae, uiribus per ieiunia ſubductis, morbum iubebat domitari, eorumque exemplis ad memoriam reuocatis, quos audiuerat a ſe febrem depuliſſe inſolenti uini potu, idem genus remedii experiri conſtituit. Nihil mirum eſt, inquit, ſi, me ex praecepto medicorum exhauſto & moriente, febris ſimul peribit. Adhuc dum uires ſunt, malo cum ea decernere, & curari meo ductu. Ambiguum quidem in perniciem ſalutemue erit hoc facinus. Sed ſatis eſt, quod non lente repraeſentabit, quicquid de me fata decreuerint. Nam hic ſtatus eſt rerum, ut ſit acerbius aegrotare, quam extingui. Ita obfirmatam mentem, non preces, non lacrymae Gelanori,

(n) Lib. & pag. cit.

ri, hoc diſcrimen abominantis, flexerunt, non inuocata Argenis, non matris amicorumque memoria. Ipſa denique Hyaniſte fruſtra orauit. Ergo conſiliis ſuis relictus, cum poſt triduum febris ex conſtituto iam rediret, foco admotus, tremorem membrorum frigentium excepit ueterrimi uini hauſtu, quod multo uiolentius ſuum ignem fundebat in ſobriis uenis, & mero non aſſuetis. Negauere medici, adeſſe ſe poſſe admouenti, ut aiebant; Poliarchus, ſi illi abirent, ſaltem medicum Bachum, uti eum ſaepe uates Pythia appellat, adfuturum, reſpondit. Simul in febris rigorem pugnare multo uino pergebat, donec ſanguine calefacto, paulo alius, quam qui ex morbo feruor eſt, trementia membra compoſuit. Hinc, cum diu conſudaſſet, diligenter deterſus eſt. Iamque ſibi ualidior uidebatur. Mirum dictu, cum iterum hac ſe lucta in morbum comparauiſſet, iuuentus, ac felicitas, & quae plurimum medicorum incerta conſilia fortuna nobilitat, exigere incommodam febrem. Hic uero primum cum CELSO (o) pronunciare tenemur, quod, cum eadem omnibus conuenire non poſſint, fere, quos ratio non reſtituit, temeritas adiuuet, ac, quod ſaepe, uti idem, (p) alio dicit loco, pertinacia iuuantis, malum corporis uincat. Deinceps probe conſiderandum, quod uinum generoſum, in curandis febribus, quae a feroſa colluuie uiſcidaeque exceſſu materiae ortum habent, magnarum ſit uirium; unde CELSVS (q) quoque, & hunc ſequens BRAVO, (r) ut centum alios taceam, uinum ad quotidianae, tertianae, quartanaeque extirpationem febris, praeſcribunt. Sed, cum a ſola uiſcidi abundantia humoris, cuiusuis origo febris non dependeat, minime hic promiſcuus uini uſus concedendus eſt. Nam

(o) lib. 3. in fine cap. 9. ed. cit. pag. 146. (p) lib. cit. cap. 12. pag. 151. (q) lib. cit. cap. 13. p. 151. & cap. 14. p. 152. item cap. 15. & 16. pag. 154. & 155. (r) Reſolut. ac Conſult. med. Tom. I. Part. 3. diſp. 5. Sect. 7. reſolut. 7. §. 1. & 2. p. 789. & 790.

Nam, non ignotae, ſed paſſim potius obuiae ſunt aegrotorum hiſtoriae, qui bilioſis laborantes febribus, copiſo meracioris hauſtu uini, ex intermittente in continuam, ex benigna in malignam inciderunt febrem. Aduerti ipſemet ex allegata allegatam calamitatem cauſa in ſtudioſo, qui primum motus ſubſidio, hoc uero non ſufficiente, largioris deinceps ingurgitatione uini, febrem abigere infelici ſuſcipiebat ſucceſſu. Grauiora adhuc ſymptomata, ex ebrietate, in alio aegroto, febri intermittente tertiana laborante, obſeruaui, qui dehinc non modo continua fuit afflictus, ſed ſtatim quoque graue accedebat delirium, & conuulſiones. Alium denique noui, ſtudioſum Argentoratenſem, qui uino non contentus, addito ſpiritu bezoardico Buſſii, tertio ab his aſſumtis die, derepente obiit. Quibus merito annumeranda hiſtoria ſtudioſi, nomine Pelargi, Dreſdenſis, hac methodo interemti, hic quippe, intermittente laborans febre, medicum Stahlianis addictum praeiudiciis, (qui iam, uti huiusmodi hominum mos eſt, uagabundus per orbem diſcurrit,) accerſit, accerſitus, dum cognoſceret, adeſſe febrem intermittentem, eheu, inquit, morbus ille admodum diuturnus eſt, intermittentem dehinc mutabo in continuam, breuiorem. Quo igitur citius haec febris ſuum curſum abſolueret, uolatilia non modo remedia, ſed ſimilis quoque potulenta indolis tam infelici exhibebantur euentu, ut non febris, ſed uitae quoque terminus, aegroto, ſeptimo, a morbi principio, die, pereunte, abbreuiaretur. Nihil dehinc a rei natura ac ueritate alienius mihi uiſum fuit, quam peruerſa ſa hiſtoriae, a IVLIO CAPITOLINO (s) de Imperatore Maximino allatae explicatio, refert nempe, eundem, a Senatu, tanquam Romani hoſtem populi, delatum, in uehemens incidiſſe delirium, nec aliud huic malo adfuiſſe au-

(s) lib. & loc. cit.

xilium praeter ebrietatem, cuius ſubſidio naturalis ſomnus, ſomnique miniſterio, priſtina mentis tranquillitas ſit reddita. Aſt haec non tam ebrietatis, quam ſomni fructus ſunt, ita, ut merito concludere liceat, alia diluentia, reſoluentia, & ſic dicta hypnotica, atque anodyna, iisdem perficiendis & olim ſuffeciſſe, & adhuc ſufficere. Delirium potius per ebrietatem intenditur, cum etiam homines modeſtiae deditiſſimi, ſi ſobrietati ualedixerunt, eo uſque inſaniant, donec diſſipato per tranſpirationem uino, relaxatisque per ſomnum neruis, cum libero functionum corporis erercitio, liber denuo rationis uſus redeat.

XIX. Certiorem largiorum poculorum defenſionem hiſtoria PECHLINI (t) uidetur ſuppeditare, quae, ut clarius omnia huc pertinentia perſpiciamus, tota hic recenſenda; referre pudet, ſcribit citatus auctor, quoties uinum a medicis ſeuere prohibitum in ardentibus, aegros iamiam conclamatos, & de appetitu perinde & febre querulos, ab orci faucibus, ſi ita lubet, reuocauerit; plane autem ſingulare erat, quod uirgini, mihi conſanguineae, accidit. Laborabat haec, omnium medicorum iudicio, aſcite confirmato, cui, quod iam inde a teneris ualetudinaria fuiſſet, & cum aſthmate ſcorbutico ſemper & usque conflictata, nulla admodum remedia profuere; relinquitur ergo prognoſtico, & mortis beneficium patienter expectat. Interea, ad procurandam εὐθανασίαν, cardiaca multis elogiis commendantur, quae illa plane auerſabatur. Inter alia uetabant medici cereuiſiae uſum, quod illa aquas augere, uentriculumque nimis debilem labefactare uideretur. Sed haec nihil morata aegra noſtra, impendio quaerebat, quo ſitim intolerabilem leniret. Poſcebat ergo identidem cereuiſiae hauſtus, quae, cum non ſufficeret, ut ſolet per uaria ambulare aegrotantium libido, ad nouum ac periculoſum zythi genus,

(t) Lib. & hiſtor. citat. p. 153. & 154.

nus, quod in Batauia *Bottel-Bier* uocant, incredibili appetitu fertur. Negant amici ſe parere roganti poſſe, quod cereuiſia illa fermentans ac flatulenta eſſet; illa tamen inſtat, & uetitam potionem maxima obſtinatione poſcit, etiam, ni protinus adſit, mori ſatius putat. Quaeritur ergo nouum liquoris genus, &, ne in conclamatam inoſſicioſi uideantur, conceditur. Illa ſe largo ſpumantis cereuiſiae flumine beat, neque mora, quin ſtatim animi deliquia, & pulſus difformis, mortis periculum portenderent, ſed pauxillum intererat temporis, cum, effuſo uomitu, aluique fluxu enormi, ad fermentationem ſpumantis zythi, animam agere uideretur; itaque ſupremum illum naturae eſſe conatum, omnes credidere. Sed opportune accidit, ut, facta ſeri euacuatione, aqualiculus nimium quantum tenſus ſubſideret, mortique, cui iam a medicis & omnibus adiudicata erat, delinitis omnibus ſymptomatibus, eriperetur, euentu ſane rariſſimo, & quem, uel in naturae, aut fortunae, ſi qua eſt, poteſtate fuiſſe, unice credas. Tantum uero abeſt, ut hiſce, quae in modo recitata obſeruatione occurrunt, circumſtantiis, certa tutaque morborum per ebrietatem medela euincatur, ut potius periculum, detrimentum, ac mala, quae largiorem potulentorum ingurgitationem ſequuntur, clarius nobis ob oculos poni, animaduertamus. Primum enim bonus, qui hauſtae affatim cereuiſiae tandem ſucceſſit, euentus, adhibitis antea remediis iure meritoque tribuendus eſt. Deinceps, ſi quid hic ingurgitata praeſtitere potulenta, idem nequaquam ab illorum copia, ſed fermentante arceſſendum uirtute. Quibus denique addere decet, quod grauiora, quae hic obſeruata fuerunt, ſymptomata, poculorum largius & frequentius deglutitorum effectus fuerint, his uero ſuccedens peccantis euacuatio materiae, & hydropici ſubſidentia tumoris, mechanico uiſcerum & uaſorum, chylum & ſanguinem praeparantium, ac uehentium, motui ad-

ſcribenda ſint. Cum enim nocens, ex SENNERTI (u) noſtri ſententia, debeat a iuuante tolli, contrarium hoc illi ſit, neceſſe eſt; commune quippe, ſcribit AETIVS, (x) in omnibus morbis praecepetum eſt, ut cauſae, noxam inferenti, contrariam curationem opponamus. Quis autem, lagioris ingurgitationem zythi, medelae ergo, in hydropicis, quibus, ex GALENI (y) ſententia, & ſanae conſenſu rationis, ac quotidianae ſuffragio experientiae, minimum bibere, & quam plurimum laborare, confert, commendabit? quis talem, & tam miram rerum mutationem, tam exoptatum, qualis in commemorata uirgine obſeruatus fuit, exitum, ad ebrietatem, quae tamen hic plane abfuit, referet? Satius quidem eſt, anceps experiri auxilium, quam nullum, ac dubia ſpes, certa deſperatione, eſt potior, cum quaedam ſaepe in caſu deſperato bene procedant, quae alio tempore ſummum afferunt detrimentum. Quis uero, huiusmodi infidis fidens experirimentis, tuta certaque, quibus, in hac medicinae luce, abundamus, negliget? Per accidens haec in allegata uirgine ita eueniſſe, atque iis, quae iam ſupra commemoraui, cauſis, tribuenda eſſe, docent incommoda, quae plures homines, quibus largior poculorum numerus in deliciis eſt, pati tenentur. Perinde mihi, cum conſilio curandi morbos per ebrietatem, uidetur comparatum eſſe, ac ſi quis homini, ſuccorum uitalium abundantia laboranti, eundem in finem pugnam & digladiationem commendaret, ut accepto nimirum uulnere, profuſoque ſanguine, plethora tollatur, ac mala, quae dehinc metuenda ſunt, praecaueantur partim, partim remoueantur. Quinimo, haud aliter ſeſe res habet cum morborum medela, largioribus poculis perficienda, quam cum hominibus, qui illiterati rudesque, febribus acutis, mania, melancholia

(u) Inſtitut. medic. lib. 5. part. 2. Sect. 1. cap. 2. (x) tetrab. 3. Sermon. I. cap. 26. (y) Libro IV. de Ratione uictus in acutis.

lia correpti, peregrinis idiomatibus, quae non didicerunt, locuti fuerunt, quales obſeruationes CARDANO, (z) SIRENIO, (a) HAPELIO, (b) FORESTO, (c) BORELLO, (d) ZACVTO LVSITANO, (e) inuenimus. Huc etiam referendi ſunt aegroti a tarantulis commorſi, qui, teſtibus, MOVFFETO, (f) & ALDROVANDA, (g) ignariſſimi, artificioſe ſaltant, utut nunquam didicerint. Quis uero illos, ſi qui darentur, non temerarios atque imprudentes iudicabit, qui, ſcopo peregrinas diſcendi linguas ac ſcientias, artemque apte ſaltandi, uenena, quae allegatis morbis excitandis fauent, commendare uellent. His certe non prudentiores, ſed peiores adhuc illi cenſendi conſiliarii, qui, ad promouendum uomitum, atque adiuuandam aluinam excretionem, & impuritatum per ſuperiora atque inferiora expurgationem, largioribus concitatam ebrietatem poculis, laudant, & ſuadent; cum tamen ſobrietatem potius hic in pretio habere, eiusque miniſterio, corpus a cruditatibus & ſordibus liberum ſeruare deceat; uentriculus enim, non ad uomendum, ſed ad ſuſcipienda alimenta, atque ad continuandam chyli elaborationem, conditus eſt. Sin uero, his neglectis, plures collegiſti & coaceruaſti impuritates, tutiora & praeſtantiora poculis largius hauſtis habes ſubſidia, quorum uſu, neceſſaria earum correctio & euacuatio tempeſtiue perfici poteſt.

XX. Nec tanti eorum argumenta momenti ſunt, qui aliis largiorem potulentorum quantitatem neceſſariam, aliis eandem, tanquam utilem, a natura conceſſam, atque iniunctam eſſe, affirmant, ut his poculorum abuſus, atque ebrietas, ſufficienti ratione defendi queat. Quanquam enim utraque liben-

 tiſſime

(z) Lib. 8. de Varietat. rerum, cap. 43. (a) lib. 9. de fato. (b) in Relat. curioſ. P. 3. p. 17. & ſequ. (c) lib. 10. Obſ. 19. (d) Obſ. Phyſico-med. lib. 2. hiſt. 54. (e) lib. 3. Prax. admir. Obſ. 222. (f) Lib. 2. de inſect. c. 12. (g) lib. 5. de inſect. c. 12.

tiſſime largiar manu, unam eandemque poculorum copiam, non omnibus peraeque conducere, ac ſufficere, ſed aliis largiorem, aliis parciorem, pro uaria ſolidorum fluidorumque conſtitutione, uarioque uitae genere, praeſcribendam eſſe; non tamen eorum aſſerto dehinc aſſenſum praebere decet, qui, dum plures allegant homines, famis omnino expertes, maximaque diuexatos nauſea, quos continua, ad uberiorem potulentorum uſum, ſitis, certum deficientis ſeri indicium, ſollicitet, ſufficiens poculorum affatim hauriendorum patrocinium, ſeſe inueniſſe credunt. Proſtratus enim appetitus, nauſea, & ſitis, potulentorum largius ingeſtorum, in huiusmodi ſubiectis, maximam partem effectus ſunt, ita, ut appoſite Poeta, quo plus ſunt potae, plus ſitiuntur aquae, & haec neceſſitas, ex PLINII (h) ſententia, uitium comitatur, ut bibendi conſuetudo augeat auiditatem. Videsne, canit HORATIVS, (i) ut pallidus omnis coena deſurgat dubia: quin corpus onuſtum heſternis uitiis, animum quoque praegrauat una, atque adfigit humo diuinae particulam aurae: alter ubi dicto citius curata ſopori membra dedit, uegetus praeſcripta ad munia ſurgit. Quis magis anorexia, nauſea ac ſiti affectus tenetur, quam hydrope laborans? quis maiorem ſeri poſſidet abundantiam, quam hydropicus? intenſa nihilo ſecius, ac uix ullo abunde hauſti potus uſu ſedanda ſitis, urget poculorum frequentiorum ingurgitationem, urgent quoque atque accelerant eadem interitum. In tali itaque rerum ſtatu, minime continuato poculorum abuſu, corporis ſanitas atque integritas perfecte reſtitui, ac diu conſeruari poteſt, ſed huiusmodi potius ſubiectis tempeſtiua euacuatione, corroboratione, atque abſtinentia, ſuccurrendum. Nec credas, multis hominibus praegrandem

a

(h) Hiſtor. Natural. lib. 14. cap 22. ed, cit. p. 250. (i) lib. 2. Satyr. 2. uerſ. 77. & ſequ.

a natura uentriculum, hunc in finem, datum fuiſſe, ut maiorem potus quantitatem capere debeant, ferreque poſſint; tam capacem enim ac tam amplum ſtomachum, tantum ſumen, tantamque corporis ſarcinam, a natura non acceperunt, ſed eundem in tantam molem, conſtanti atque uberiore poculorum ingurgitatione, cum maximo proſperae ualetudinis diſpendio, extenderunt; unde quoque in huiusmodi heluonibus, diluta nimis limpha gaſtrica, ablatoque omni uiſcerum, uentriculi praecipue, tono, appetitus languet, ac plane ceſſat, ac poſt mortem uilloſa uentriculi cruſta, ex nimia diſtenſione, quaſi laeuigata, omnibus rugis deſtituitur. Ventriculi ita magnitudo, ſcribit IO. MAVR. HOFFMANNVS, (k) ſuos etiam patitur manes, ſiquidem ultra modum augetur in gurgitibus & heluonibus, non laudi & gloriae, ſed abdomini ſuo natis, nimia ingluuie uentriculi parietes plus aequo diſtendentibus, cum inſequente nonnunquam fibrarum ἀτονία. Plures enim plicas in uentriculi deprehendimus cauitate, cum, ex omnium conſenſu Anatomicorum, teſte cum primis THOMA WILLIS, (l) tunica interior, exteriori carnea, multo amplior, ut ab ea contineatur, in plicas ſiue rugas iſtas colligi neceſſe ſit. In bibonibus uero & guloſis, pergit idem, quibus, a crebra uel nimia uentriculi repletione, tunica carnea plurimum extenditur, etiam interior illi coextenſa, rugas ſuas omnes amittens, plana & tenuis, inſtar ueſicae inflatae, euadit. Talem tunicarum uentriculi ſtatum in cadaueris, cultro anatomico ſubiecti, ſectione, aduertimus. (m) Haec hominum adeo, qui poculis ſaepius atque affatim hauſtis delectantur, non rerum naturaeque uitia ſunt, quibus ſequens regula diaeteti-

ca

(k) Diſquiſit. corp. hum. anat. pathol. Spec. 3. §. 3. p. 26. (l) Oper. quae Amſtelodami, apud Wetſteinium, in mai. 4to, 1682. prod. Pharmac. ration. Part. 1. Sect. 1. cap. 2. p. 6. (m) in diſſ. de Steatomatibus, §. 2. p. 10.

ca, ad ſanitatis conſeruationem, commendanda, atque inculcanda:

Quod debes, uentri da, non da, quod potes, illud
Virtutis, uitii ſed tenet hocce locum.

XXI. Multo minus, his iam remotis, illi audiendi ſunt, qui, aliquid conſuetudini, uoluptati, & palato, rebus maximi, in ſanitatis defenſione, & morborum medela, momenti, dandum eſſe, arbitrantur. Heu, heu, TRIMALCHIO, allato, hauſtoque Falerno Opimiano annorum centum, apud PETRONIVM, (n) exclamat, nos miſeros, quam totus homuncio nihil eſt! quam fragilis tenero flamine uita cadit! ſic erimus cuncti, poſtquam nos auferet orcus; ergo uiuamus, dum licet eſſe bene. Bibamus, FELIX DE LA MOTHE (o) canit, aetas praecipites agit feſtina curſus; hanc ſpatiis Deus incluſit arctis. Nos fugacis damna hilares reparemus aeui. Quae nunc citato carpet iter gradu, claudet perennis forte diem ſopor, cras forte nos traducet atra nocte Charon. Quod adeſt auaro uſu occupemus. Poſtera quodlibet fortuna uoluat: iuuerit inuidas Parcas fefelliſſe, & ſeueris particulam hanc rapuiſſe fatis. Ergo potenti nunc decet uuida explere uino corda; quid intereſt, prudens an inſanus uoceris, certo modo ſubeat uoluptas. Sed, qualis haec uoluptas? uiuere, non eſt bibere; nec uiuimus, ut bibamus, ſed bibimus, ut uiuamus, ualeamus; nec omne, quod hominibus libet, illis quoque licet; nec quaeuis, quae palato grata iucundaque uidentur, ſanitatis ſeruiunt conſeruationi; perſaepe enim palati ſtudium, proſperae diſpendio ualetudinis, ingenium fallit; ac nos, aiebat BERNHARDVS, (p) boni ſaporem in Eua perdidimus, linguam hinc cohibeamus, ut ad bonum tendat, quod in Deo tantum. Mihi quoque plane non perſuadere poſſum, largiorem

(n) Satyr. Amſtelodami in 12mo, 1626. ed. p. 16. (o) Oda 4. Anacreont.
(p) Sermon. 85. ſuper Cantic. Cantic.

rem potus ingurgitationem, ſanorum palato arridere, ullamque creare uoluptatem, potius hauſtis frequenter poculis, omnem ſaporis gratiam perire, rationale ſitis, cauſarumque ſitim excitantium, examen, docet. Nec guſtus ſaltem ſuauitatem, potulenta largius hauſta, ſed cum eadem etiam, ſanitatem, imo uitam, tollunt, quod Macedones, uti refert CVRTIVS, (q) experti fuerunt, qui per deſerta Sogdianorum loca iter facientes, quicquid uini oleique erat, ingerentes, tanta bibendi dulcedine affecti fuerunt, ut in poſterum ſitis non timeretur; illi uero deinde auide hauſto graues humore, non ſuſtinere arma, non ingredi poterant, & feliciores uidebantur, quos aqua defecerat, cum ipſi ſine modo infuſam uomitu cogerentur egerere. Simili modo idem cum mala comparatum conſuetudine, magnam enim huius uim eſſe, nullus, qui ad ea, quae quotidie eueniunt, attentam habet mentem, in dubium uocabit; conſuetudo, altera uulgo audit natura; conſuetudo, ait CVRTIVS, (r) natura potentior; grauiſſimum conſuetudinis imperium, a SENECA dicitur; imo, conſuetudo, homini Deus, ἦθος, ἀνθρώπȣ δαίμων, HERACLITI (s) ſunt uerba; ſic crede, ait OVIDIVS, (t) nihil adſuetudine maius. Idem conſuetudinis eſſe priuilegium, multiplici edoctus experientia HIPPOCRATES, (u) hiſce innuit: τὰ ἐκ πολλȣ̃ χρόνȣ συνήθεα, κἂν ᾖ χείρω, τῶν ἀσυνήθων ἧσσον ἐνοχλεῖν εἴωθε, conſueta nimirum a longo tempore, etiamſi deteriora ſint, inſuetis minus moleſta ſolent eſſe. Haec magis illuſtrat, propoſitisque exemplis conſuetudinis, quam multi in potu pertinaciter tenent, PECHLINVS (x) demonſtrat; in nullis autem potibus, ſcribit ille, maior abuſus, quam in iis, qui inebriant; hos enim ſolos affatim & ſine lege bibimus, atque uni-

 ce

(q) de rebus Alexandri Magni, lib. 7. cap. 5. §. 7. & 8. (r) Lib. 5. cap. 5. (s) apud Plutarchum Qu. Plat. (t) lib. 2. de Arte amandi, uerſ. 345. (u) Libro aphoriſmorum, Sect. II. §. 50. (x) Obſeruat. 28. p. 515. & 516.

ce deperimus, inſaniae quandam ſpeciem data opera affectantes. Et tamen haec bibendi conſuetudo adeo nonnullis infixa eſt, ut amitti, niſi cum uita, poſſit. Tabeſcere uidi potus deſiderio, qui bibere aſſueti, fortuitorum caſu prohibebantur, ne hoc facerent. Refert quoque citatus auctor, (y) inter conſuetudinis luſus, quod quidam, ardentibus aquis uinique ſpiritu quotidianam leuantes ſitim, diuque ſaepe ebrii, ſeptuageſimum, &, quod ultra eſt, annum, conſecuti ſint. Noui olim, pergit idem, (z) hominem ſexagenario maiorem, bibendi conſuetudine eo deductum, ut uix horae ſpatio, ſine ardentis aquae potu eſſe poſſet, & ſomnum quoque interrumperet damnatiſſima ſitis. Hic, cum diem confeſſionis celebraret, ſeque ad publicas ſacroſanctae coenae ceremonias praepararet, quantum poterat, ab aquae ardentis uſu abſtinebat, reliquum tempus, quo bibere non licebat, animi deliquiis multaque impatientia tranſigebat. Duplici uero hic opus eſt conſilio, ac monito, primum, ut cuiusuis abuſum rei fugientes, a mala alieni permaneamus conſuetudine, quod aduertens SENECA, (a) qui liberaliorem ad ſopiendas huius uitae aerumnas & curas potionem commendarat, mox ſubiungit, idem, nec ſaepe, potius ex mea ſententia, nunquam, faciendum eſſe, ne animus malam conſuetudinem ducat. Sin autem nos peſſimae iam tradidimus conſuetudini, ne praeſens, in quo anima pariter ac corpus uerſantur, periculum, augeamus, eadem ſenſim paulatimque emendanda; mala, inquam, conſuetudo, ſanae cedat rationi, ac prauum rerum uſum ſapientia uincat, atque emendet; δεῖ οὖν, HIPPOCRATIS (b) eſt praeceptum, *καὶ ἐς τὰ ἀσυνήθεα μεταβάλλειν.* Sed hic cum SIMONE PAVLLI, (c) iuſte queri, & exclamare cogor:

Watb

(y) Lib. & Obſ. citat. p. 516. (z) Lib. & Obſ. citat. p. 517. (a) Oper. edit. citat. lib. de tranquillitate animi, p. 168. (b) Sect. 2. aphoriſmi 50. fine. (c) Quadripart. Botan. a Fickio, Francofurti ad Moenum, 1708. in 4to, ed. claſſ. 3. p. 549.

Wath helpen Fackel und Brillen,
Wenn de Lüde nicht ſehn willen.

XXII. Plura iam uariaque, ad faſtidium usque, meritorum, quae ſobrietati competunt, teſtimonia, atque exempla, adducta, eandem tamen nihilo ſecius multis adhuc oppugnari conuellique argumentis, ebrietatem contra, nouis in medium adductis rationibus, acriter defendi, animaduerto; ampliſſima enim Philoſophorum, Oratorum, Poetarum, ac Cantorum cohors, quibus largiora, & frequentius hauſta pocula in deliciis ſunt, mihi iam litem denunciant, perhibendo, quod uberiore potus ingurgitatione, ingratarum obliuio rerum inducatur, triſtitia ac moeror abigatur, curae abſorbeantur, mens ſollicitudinibus atque anxietatibus aegra ſanetur, atque ad labores ſuſcipiendos ac perficiendos alacrior & uegetior reddatur. *Les Buveurs*, ſcribit RENATVS TARON, (d) *d'eau ne feront jamais des vers, qui puiſſent plaire long tems, & ſe ſoutenir. Cet Oracle a toujours eté vrai, depuis que Bachus a pris ſous ſa Protection les Poetes, qui pour faire de bons vers n'ont pas beſoin d'être toujour Sage.* Inhaeſit TARON ueſtigiis HORATII, (e) ita canentis: nulla placere diu, nec uiuere carmina poſſunt, quae ſcribuntur aquae potoribus. Vt male ſanos adſcripſit Liber Satyris Fauniſque Poetas; nam, uti alio ait loco, (f) non ceſſauere Poetae nocturno certare mero, foetere diurno. Et Plato, inquit SENECA, (g) fruſtra Poeticas fores compos ſui pepulit. Proſtat ipſum teſtimonium PLATONIS in *Phaedro*, qui nullus dubitauit aſſerere, *ὃς δ' ἂν ἄνευ μανίας μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται, πεισθεὶς, ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανῶς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε καὶ ἡ πόιησις ἠφανίσθη,* quisquis nempe, ſine furore, fores pepulit poeticas, perſuaſus, quod arte ſola, Poeta poſſit euadere, is conatus ſui irritus,

(d) apud Dominum de Sallengre, tract. cit. cap. 5. p. 27. (e) lib. 1. epiſt. 19. uerſ. 2. (f) lib. & epiſt. cit. uerſ. 10. & 11. (g) Oper. lib. de tranquillit. cap. 15. ed. cit. p. 169.

& item poeſis eius, abeunt, ſiue pereunt. Sed, quid tibi uidetur de hac uiuendi ratione, ac de hac uerſus elaborandi, philoſophandique methodo? dementes hoc modo, poetae, & philoſophi, ad unam erunt referendi claſſem, Ottoni illi perfecte planeque ſimiles, quem ſequenti HOFFMANNVS (h) elogio condecorauit: Otto bibit, dulcique replet ſe Iacho, Philoſophum potus ſe tamen eſſe crepat. Non nego: Philoſophi gerit humida nomina potus: *Speuſippum*, luuro, pota uomendo, refert. Optimam tamen, regeris, aerumnarum antidotum, praebet ebrietas; quis enim tam aerumnoſus eſt, inquit Orator, (i) quis tam inexplicabili curarum grauiorum labyrintho implicitus, quin, ſi paulo largius biberit, ſollicitudinis, curarum, aerumnarum, obliuiſcatur, frontem explicet, ſpes iubeat eſſe ratas? Sunt in urbibus ciues, qui ſobrii, propter rem anguſtam domi, & aduerſam fortunam, nec interdiu, nec noctu, ſuauiter quieſcere poſſunt. Interdiu ſaepe a creditoribus appellantur, in ius uocantur, trahuntur in uincula. Iam poſtulat uxor ad macellum pecuniam, iam liberi ad emendos panes efflagitant; noctu eaedem curae uel citis, quod aiunt, quadrigis, recurrunt; in mentem uenit creditorum tyrannis; animo recurſatur, quomodo, in re tam anguſta, ampliſſimam uelint alere familiam; cogitant, omnia ſua pignora oppoſita eſſe, & quae huius generis curae infinitae ſunt aliae. Aſt, ubi largioribus ſeſe ingurgitarunt poculis, quos, me Hercle! non Croeſos, quos non Lucullos, prae ſe contemnunt? quam non animo beatiſſimi ſunt? quas non diuitias ſibi imaginantur, etiamſi re uel paupertate pauperiores ſint? Cura debitorum nihil animum eorum tranſit, nil de alendis liberis, nil de alenda tota familia, diſtorquentur,

(h) Luſ. epigram. ed. cit. Cent. 1. epigram. 72. p. 20. (i) Melchiore Iunio, Orat. Tom. II. Orat. de Voluptate, edit. quae Argentorat. 1611. prod. p. 1421.

tur, non quod in ius uocati iudici reſpondeant, reputant. Homines infeliciſſimi illi ſunt, ſed ebrietatis beneficio feliciſſimi. Plura quoque ebrietatis eſſe commoda, atque eandem cumprimis moerori mitigando, & tollendo, ſeruire, OVIDIVS (k) affirmat, his uſus: cura fugit multo, diluiturque mero. Tunc ueniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit, tunc dolor, & curae, rugaque frontis abit. Atque alio idem (l) loco, expreſſis uerbis ebrietatem maiorem, ad curas profligandas, commendat, aut nulla, ait, ebrietas, aut tanta ſit, ut tibi curas eripiat. Idem conſilium dat SENECA, (m) ac largiorum ingurgitationem poculorum, in claſſem ſubſidiorum, quibus mentis conſeruanda tranquillitas, refert; aliquando, ſunt illius uerba, uigorem dabunt conuictus & liberalior potio, nonnunquam & usque ad ebrietatem ueniendum, non ut mergat nos, ſed ut deprimat; eluit enim curas, & ab imo animum mouet, & ut morbis quibusdam, ita triſtitiae medetur, Liberque, non ob licentiam linguae, dictus eſt inuentor uini, ſed quia liberat ſeruitio curarum animum, & aſſerit, uegetioremque & audaciorem in omnes conatus facit. Et mox iterum, interſperſis quibusdam monitis, idem ſcribit, animus aliquando in exultationem libertatemque extrahendus, triſtisque ſobrietas remouenda paulisper. Illum pariter in finem ebrietatem, ebrius ſaepe HORATIVS (n) commendat, perhibens, quod ebrietas, ſpes iubeat eſſe ratas, in praelia trudat inermem, ſollicitis animis onus eximat, addoceat artes. Diffuſiſſimo quoque carmine ARISTOPHANES, (o) largiorum merita poculorum euincere ſtuduit, tradens, nihil uino, uberioreque eius ingurgitatione ad agendum aptius reperiri; eodem largius hauſto, homines admodum diteſcere, cauſas uincere,

 lites

(k) de arte amandi lib. 1. (l) Lib. 2. de remedio amoris. (m) Oper. edit. cit. lib. de tranquillitate animi, in fine, p. 168. (n) Lib. 1. epiſt. 5. uerſ. 16. & 17. (o) de Equitibus, n. 87.

lites obtinere, beatos fieri, & amicis commodare. Verum enim uero, ut taceam, diuerſos ualde atque a ſe inuicem penitus alienos eſſe ebriorum mores, aliosque exultare laetitia, & triumphare gaudio, alios contra ſumma affectos triſtitia, lachrymas profundere; hos ad amorem concitari, illos contra truculentos reddi; alios inani inflatos faſtu, quam egregia patrauerint facinora, inaniter immoderateque iactari, alios uero metu timoreque percuſſos, uel omnino tacere, uel triſtia, quae ſuſtinuerint, fata, commemorare; alios nimium loquaces atque odioſos in dicendo oratores agere, alios plane mutos, & ſtipitis inſtar ſedentes, reperiri; alios arcana, ſibique ſub fide ſilentii commiſſa, temere effutire, alios numeroſe & uolubiliter per omnes, omnis conuitia generis, diffundere, atque, ut paucis plura complectar, omnes ebrios, diſcrepantes ſtultorum & brutorum ſpecies nobis ſiſtere, aliosque, ſuum inſtar, ſeſe in luto, iisque, quae uomitu reiecerant, potulentis, uolutare, alios leonum more, in rabiem ſic exagitatos, ut totam furiarum cohortem conueniſſe putes frementem; nonnullos adeo rudentes, ut, omni Arcadia peruagata, deſideres, cum quibus eos conferas, aſinos, nonnullos gliribus maxime ſimiles, qui uino ſopiti, omnem fortunam dormiendo negligunt; multos Pamphilos, qui amoris teſtimonia exhibituri, ructus uentrisque edunt bombos, tam foetido moleſtos ſpiritu, ut Augiae ſtabulum adeſſe uideatur, multos haurientes denuo, canum inſtituto, quod uomitu reiecerant; ita certe uoluptas, quam ebrietas aſportat, aura fugacior atque inconſtantior eſt, nec aliena eſt a gaudio, quo homines per ſomnum, inſomniorum beneficio, fruuntur; uti enim in his, excuſſo ſomno, omnia deſunt, quae per imaginationis luſum menti ſiſtebantur, priſtinaque rerum facies adhuc deprehenditur, hac pariter ratione, diſcuſſa per ſomnum aut corporis motum ebrietate, eaedem,

imo

imo grauiores, & nouae, adſunt curae, noua incommoda, noua, peioraque antecedentibus, detrimenta; moeror enim, atque aerumnae, copioſius hauſti poculis meri, non tolluntur, ſed eaedem potius, manente cauſa, ſublato rationis uſu, liberoque functionum corporis exercitio, ſupprimuntur, ac merguntur, maiorique impetu, uehementia, & dolore, cum mente ſibi reſtituta, redeuntes, maiorem, quam antea, creant, moleſtiam; ebrii enim, ſola bonorum imaginatione occupati tenentur, a ueris alieniſſimi bonis; cum, uti ſcribit BOILAV, (p) *rien n'eſt beau, que le vrai: Le vrai ſeul eſt aimable;* unde appoſite Poeta (q) canit: ebrius es laetus, triſtaris ſobrius illud. Sobrius hanc triſtitiam expertus eſt Alexander Magnus, qui uino madidus, Clitum, egregium bello uirum, & ſeruatorem ſui, deteſtabile carnificis munus occupando, occidit, ac conſpecto, qui toto ueſtibulo, paulo ante conuiuae, manabat, cruore, in ſemet euulſam ex corpore interfecti Cliti haſtam retorſit, iamque pectori admotam intruſiſſet, niſi excubias agentes, aduolando, repugnanti e manibus extorſiſſent. Ebrietatis hoc modo, cui indulſerat Alexander, fructus, erat homicidium, homicidioque ſuccedens miſerabilis gemitus eiulatusque, totam perſonans regiam, qui uariis obteſtationibus atque obſecrationibus iunctus, per totam durans noctem, omnem turbabat ſomnum, ita, ut nullus, teſte CVRTIO, (r) in huius facinoris deſcriptione occupato, finis lacrymis querelisque, iaceretque per triduum incluſus, ad moriendum obſtinatus, perſeueraſſetque ſine dubio in hoc propoſito, niſi armigeri corporisque cuſtodes uniuerſi in tabernaculum irrumpentes, diu ipſorum precibus reluctatum aegre uiciſſent, ut cibum caperet. Sic tandem ingentia illa animi bona, uti citatus loquitur auctor, (s) illam indo-

(p) apud Dn. de Sallengre, tr. cit. cap. 21. p. 99. (q) Leibius, Apophthegmatibus, Coburgi, in 12mo, 1627. ed. ſymbolo 468. (r) Hiſtor. lib. 8. cap. 1. & 2. (s) Curtius, hiſtor. lib. 5. mox ab initio, cap 7.

indolem, qua omnes reges anteceſſit, illam in ſubeundis periculis conſtantiam, in rebus moliendis efficiendisque uelocitatem, in deditis fidem, in captiuis clementiam, in uoluptatibus, permiſſis quoque & uſitatis, temperantiam, haud tolerabili uini cupiditate foedauit. Eheu, egregium moeroris ſubſidium, cauſam potius, ebrietatem! Hic certe ebrietas, unius horae hilarem inſaniam, longo temporis taedio penſauit. Laetitia pariter combibonum, apud RONSEVM, (t) mox in luctum uertebatur, altero ex uulnere & crapula obeunte, altero in ius uocato, & homicidii accuſato. Similis, ſi non maior, fuit moeror, triſtitia & calamitas, in quae, ebrietatis culpa, Lothus incidit; Lothus, inquam, qui, ex ſacrarum teſtimonio literarum, (u) unus in uniuerſa Sodoma iuſtus inuentus, largioribus meri poculis uictus, inceſta filiarum libidine non abſtinuit, ac non diſcernens, an coniux, filia, uel peregrina ſit, concubitum celebrauit inceſtuoſum. Lothus igitur, uti B. LVTHERVS (x) ait, dupliciter ebrius fuit, corpus uino, & animus curis. Non igitur mirum, quod ſobrius neſciat, quid fecerit ebrius. Cepit certe peſſundauitque illum uirum ebrietas, quem Sodomae uoluptates & deliciae non potuerunt irretire, illeque flammis mulierum inceſtuoſis ardet, quem flamma Sodomae ſulphurea intactum dereliquerat. Saepe ita boni peccant, ac uitiis perit obruta uirtus. Nec eſt, ut Iudaeorum fabulis nugisque ſubſcribentes, nobis philtrorum, a filiabus paratorum, propinationem fingamus, cum, ad allegatum flagitium patrandum, largiores uini hauſtus, hisque inducta ebrietas, ſufficiat. Nae uinolenti, loquor cum CICERONE, (y) quae faciunt, eadem approbatione faciunt, qua ſobrii haeſitant,

(t) Miſcellan. ſeu Epiſt. Med. Lugd. Batau. ex officina Plantiniana, in 8uo, 1590. ed. epiſt. 12. p. 39. & 40. (u) Geneſeos cap. 19. uerſ. 15. 16. 35. & 36. (x) Enarrat. & Comment. in Geneſin. (y) Quaeſtion. Academ. lib. 4.

tant, reuocant ſe interdum, iisque, quae uidentur, imbecillius aſſentiuntur.

XXIII. Tanta quidem mala, Noachi ebrietas, non accerſiuit, omnis tamen uitii criminisque non omnino expers fuit; ad unius horae ebrietatem, ait HIERONYMVS, Noachus femora ſua nudauit, quae per ſexcentos annos ſobrietate contexerat. Quod igitur aliquo modo crimen ebrietatis, Noacho obiectum, minuit, atque excuſat, eſt, quod idem, monente DIETERICO, (z) ex diurno feſſus labore, urgente ſiti, largius bibens, ignorando uim uini, praeter opinionem, ſemel inebriatus fuerit, cum nulla amplius ullius temulentiae, ab illo iterum admiſſae, in ſacris literis facta ſit mentio. Nulla itaque ſalus ebrietate, ſobrietatem te poſcimus omnes. Auſculta ſaluberrimo, quod Seruator noſter, (a) ſuis diſcipulis, omnibusque hominibus, reliquit, monito: *προσέχετε δὲ ἑαυτοῖς, μήποτε βαρυνθῶσιν ὑμῶν αἱ καρδίαι ἐν κραιπάλῃ καὶ μέθῃ, καὶ μερίμναις βιωτικαῖς, καὶ ἀφνίδιος ἐφ' ὑμᾶς ἐπιστῇ ἡ ἡμέρα ἐσχάτη.* Idem tibi inculcat Regum ſapientiſſimus, (b) ſerio urgens, & hortans: *μὴ μεθύσκεσθε ἐν οἴνοις, ἀλλὰ ὁμιλεῖτε ἀνθρώποις δικαίοις, καὶ ὁμιλεῖτε ἐν περιπάτοις.* Si ebrietas, tam funeſtorum, in iis, quos ſacri teſtimonia codicis ſanctos piosque appellant, caſuum, auctor, peſſimorumque fons uitiorum fuit, quid in aliis quaeſo, ab ebrietate expectandum erit? Quid aliud, quam omnis calamitates generis, cuiusuis flagitia & peccata indolis, maxima cumprimis crumenae, ualetudinis, ac famae damna, & dedecora, paupertas ſcilicet, ſcortatio, lites, rixaeque, & ex his orta uulnera, plagae, contuſiones, caedes. Accidit idem hic hominibus ebriis, quod ferocioribus equis, currum trahentibus, qui, excuſſo auriga, per praecipitia altaque paſſim loca cum ſummo diſcurrunt periculo; eadem penitus ratione temulenti, oppreſſa largioribus poculis ratione,

(z) Antiquitat. biblic. uet. teſt. p. 248. (a) Euangelio Lucae, cap. 21. uerſ. 34.
(b) Prouerb. Salomonis, cap. 23. uerſ. 30. fine.

nec phyſicas & morales, nec oeconomicas circumſtantias, oculisque obuerſantia attendunt aduertunque pericula, ſed bona quaeuis tam fortunae, quam corporis, dilapidando, in ſummam praecipites ruunt calamitatem; quod probe obſeruauit, & ſequentibus indicauit, quem modo citauimus, Regum ſapientiſſimus, (c) *τίνι οὐαί; τίνι θόρυβος; τίνι κρίσεις; τίνι δὲ ἀηδίαι καὶ λέσχαι; τίνι συντρίμματα διακενῆς; τίνος πέλιδνοι οἱ ὀφθαλμοί; οὐ τῶν ἐγχρονιζόντων ἐν οἴνοις; οὐ τῶν ἰχνευόντων, πȣ πότοι γίνονται.* Vides hinc, heluones, qui plura abſorbent pocula, ab iisdem, una cum omnibus bonis, ipſaque domo, ſaepius abſorberi, ita ut, funeſtorum caſuum, temulentiam comitantium, multitudine, commoti, certius credamus, maiorem, in hominibus, humanisque bonis perdendis, uim, atque atrociam, frequentius atque uberius hauſtorum poculorum eſſe, quam uaſtiſſimi maris, omniumque ex eodem dimanantium & in idem confluentium fluuiorum. Quot enim ciues, antea opulenti, quibus omnium rerum affluxus & copia erat, conſtans crapula perditaque perdidit luxuria, atque omnibus ſpoliatos ſubſidiis, mendicos iam agere coegit? Quot, qui domos ſuas, rebus neceſſariis optimisque inſtructiſſimas habuerunt, iam ex eadem, tanquam domini peruerſi, & poſſeſſores indigni, eiecti, ſub miſero leuis tugurii receptaculo uitam degere tenentur, Germani prudentiores dicunt, *ſie ſauffen ſich arm, kranck und in die Hölle*, quae omnia bene ſequenti Poeta carmine deſcripſit: diuitias, animum, uires amittimus, eheu, dum laſciua nimis crapula membra grauat. Hos pariter largiorum poculorum fructus & ſucceſſus tibi Salomo (d) ob oculos ponendo, ab iisdem, te heluo, auocare & liberare ſtuduit, *πᾶς μέθυσος*, ſcribens, *καὶ πορνοκόπος πτωχεύσει.* Atque alio idem hunc in ſenſum loco, (e) *ἐὰν εἰς τὰς φιάλας*, inquit, *καὶ τὰ ποτήρια δῷς τȣς ὀφθαλμȣ́ς σȣ, ὕστερον περιπατήσεις γυμνότερος ὑπέρȣ.* In quo quidem ſimi-

liique

(c) Prouerbiis Salomonis, cap. 23. uerſ. 29. & 30. (d) Prou. cit. cap. uerſ. 21. (e) lib. & cap. cit. uerſ. 31.

ſimilique ſuneſto frequentioris temulentiae euentu; maxime mirandum, quod huiusmodi heluones non emendari, nec a mala, quam acriter tuentur, conſuetudine, praeſentium indicio, ac futurorum praeſagio malorum, auocari queant, ſed perire, quam peſſimos largius bibendi mores mutare, malint, atque imminentis remedia calamitatis querentes, non ad uindicandum ſe ab interitu, ſed ad eundem penitus accerſendum accelerandumque proni & diſpoſiti, omnem moueant lapidem.

XXIV. A deſcripto huiusmodi heluonum furore, differt quidem eorum error & peccatum, qui ebrietatem ab ebrioſitate diſtinguentes, illi interdum; huic uero nunquam, ueniam dandam eſſe, affirmant, hac addita ratione, quod illicitum ebrietas actum, qui citra animum et uoluntatem, bono etiam uiro aliquando accidere poſſit, ebrioſitas uero habitum, continuatis diu largiorum poculorum hauſtibus contractum, ab omni honeſto longe remotum uiro, denotet. At enim uero, cum uitium & peccatum, licet ſemel commiſſum, ſit maneatque; nihilo ſecius uituperio atque abominatione dignum, nullam, ne leuem quidem, raramque, ebrietatem, quae inter uitia primas tenet, excuſandam unquam, ſemper potius accuſandam, & damnandam eſſe, arbitror. Illi exinde, qui chriſtianae eccleſiae, tanquam optimae ciuitati, ſacro de fonte lauati, nomen dederunt, ceu maximi & deteſtandi plane facinoris auctores & rei abominandi, & culpandi ſunt, qui leuioris raraeque defenſionem ebrietatis, ſub noto & familiari quibusdam hominibus termino, *eines chriſtlichen Raeuſchgens*, ſuppeditare non erubeſcunt; ſed cogitent illi, perpendantque ieiunia, quae pro nobis in deſerto ſuſtinuit, Saluator noſter; mente ſedulo uoluant, quam amarum, quam acerbum fuerit Saluatoris noſtri poculum, quod idem pro nobis, cruci affixus, atque ex humanae deſiderio ſalutis, ſumma affectus ſiti, hauſit; reputent ſecum, quam aduerſum chriſtianae regulis prudentiae, prudentique uerae pieta-

tis culturae, uitium ſit, ebrietas; contemplentur atque expendant, quod, cum liberalior & largior, ſine ſuccedente ebrietate, potio, ſanitati ſit inimica, eo maior pernicies, ex leuiori etiam ebrietate, immineat; conſiderent, quanto dedecore & detrimento, potulenta largius hauriant, hauſta per uomitum lotiumque reddant, quae egenis parcius exhibita, magna multaque commoda praeſtare potuiſſent. Quare etiam ESAIAS, (f) Vae exclamans, & temporales & aeternas ebriis calamitates annunciat. A diuini haereditate regni PAVLVS (g) eos, qui largioribus poculis & temulentiae indulgent, excludi, hiſce teſtatur, ὄυτε μέθυσοι, βασιλείαν Θεοῦ κληρονομήσουσιν. Et alio loco, (h) μέθαι, κῶμοι καὶ τὰ ὅμοια τούτοις, ἃ προλέγω ὑμῖν, καθὼς καὶ προεῖπον, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες βασιλείαν Θεοῦ οὐ κληρονομήσουσιν. Tam exoſa quoque, & quidem merito, omnis Paulo (i) ebrietas fuit, ut piis, quamuis cum ebriis interdixerit conſuetudinem, νυνὶ, ſunt illius uerba, ἔγραφα ἡμῖν, μὴ συναναμίγνυσθαι, ἐάν τις ἀδελφὸς ὀνομαζόμενος ᾖ μέθυσος, καὶ τὰ λοιπά· τῷ τοιούτῳ μὴ συνεσθίειν. Cum enim ebrietas, omnium, omnium, inquam, malorum, fax ac tuba, & quarumuis ſcaturigo & fons calamitatum, ac grauiſſimorum mater cauſaque peccatorum ſit, plures & ſatis praegnantes cauſas habuit Apoſtolus, omnem cum ebriis diſſuadendi conſuetudinem, ne, malo hoc latius ſerpente, plures inficiantur, & corrumpantur, tanquam atrociſſima affecti peſte. Agnouit idem iam ex Gentilium grege GALENVS, (k) hoc medicis iniungens praeceptum: ne tentandum quidem eſſe, ut intemperantibus, uinoſis, ac gulae uentrique deditis, manum admoueamus; perdita quippe omni emendationis ſpe, ſperanda ab aegrotis, poculorum abuſui ualedicturis.

XXV

(f) Cap. ſ. uerſ. 11. 12. & 22. (g) Epiſt. ad Corinth. I. cap. 6. uerſ. 10. (h) Epiſt. ad Galatas, cap. ſ. uerſ. 21. (i) Epiſtola I. ad Corinthios, cap. ſ. uerſ. 11. (k) lib. de curat. per ſanguinis miſſionem, cap. 6.

XXV. Felix igitur, ac ter quaterque beatus, qui, ſapientiae addictus, conſilio auxilioque, mentis ac corporis ſanitatem conſeruandi, abundat; infelix contra, imo improbus plane, qui delirus, deliria, in ebrietatis patrocinium, aduocat; nam, ſi Graeco Poetae credimus, credit SENECA, (l) aliquando inſanire iucundum eſt. Θέλω, canit ANACREON, θέλω μανῆναι, uolo, uolo inſanire. Volenti uero, ex meo uoto, non fit iniuria. Si itaque tibi dementia arridet, arrideat peraeque ARISTOTELIS (m) placitum neceſſe eſt, qui, nullum magnum ingenium, ſine mixtura dementiae fuiſſe, conſentiente ſimul SENECA, (n) perhibet. Quid enim ratione timemus, ait IVVENALIS, (o) aut cupimus? Quid tam dextro pede concipis, ut te conatus non poeniteat, uotique peracti? Reſpuas igitur rationem, tranquillitati tuae inimicam, clamat gens Epicuri, prouocans ad ſequentem SAINT EVREMONT (p) Odam: *la raiſon eſt d'une triſte uſage, qu'il eſt ennuyeux d'être ſage! De vivre toujours gravement, ſons les ordres du jugement, de reflechir toute ſa vie, de peur de faire une folie.* Quid magis, iidem obiiciunt, felicis ſucceſſus fortunae turbat, quam ratio? quid frequentius triſtitiae anſam dat, quam ratio? Quem magis fortunae ſuae poenitet, quam ſapientem? ultimum omnium afflictorum perfugium, ara atque aſylum, dementia, uti optime Gallus, (q) hunc in modum canens, expreſſit: *la raiſon ſerieuſe ennuye & rend amers nos plus beaux jours que peut-on faire de la vie ſans rirer, & plaiſanter toujours.* Lege, monent aduerſarii, ERASMVM ROTERODAMVM, (r) qui panegyrico, dementiae merita praedicans, SOPHOCLIS (s) teſtimonium pulcherrimum

(l) lib. de Tranquill. cap. ult. ed. cit. p. 168. et 169. (m) Problem. Sect. 30. quaeſt. 1. (n) lib. & cap. cit. p. 169. (o) Satyr. 10. (p) Melange curieux, Tom 2. p. 95. (q) Memoir de Thou, p. 328. (r) Encomio ſtultitiae, quod 1699. Lipſiae, in 8uo, cum colloquiis, prodiit. (s) Apud Eraſmum, Encomio ſtult. p. 14.

mum uocat, aſſerentis: ἐν τῷ φρονεῖν μηδὲν, ἥδιστον βίον, uitam nempe iucundiſſimam in dementia conſiſtere. Reſpice, urgent, homines ſtupidos blennosque, de nulla re ſollicitos, nulla commotos triſtitia, nulla agitatos ira, ſemper laetos, ſuaque ſorte contentos; conſidera infantes puerosque dementes, ſemper hilares & tripudiantes; perpende incommoda, quae nobis, ſapientia, in aetatis flore conſtitutis, affert; fugientem cum ſenectute perſequere ſapientiam, ſenem bis puerum, pueroque inſipientiorem, deprehendes. Quid igitur nos impedit, quo minus noſtram faciamus ſententiam Dominae DESHOVLIERS, (t) ſequentibus comprehenſam rhythmis: *Homme vante moins ta raiſon, voy l'inutilité de ce preſent celeſte, pour qui tu dois, dit-on, mépriſer tout le reſte. Auſſi foible que toi dans ta jeune ſaiſon, elle eſt Mancelante, imbecille. Dans l'âge où tout t'appelle à des plaiſirs divers, vile eſclave des ſens elle t'eſt inutile, quand le ſort t'a laiſſe comter cinquante hyvers, elle n'eſt qu'en chagrins fertile, & quand tu vieillis, tu la perds.* Allegantur plura teſtimonia, nec deſunt exempla, his illuſtrandis & confirmandis ſeruientia; praetulerim, ſcribit HORATIVS, (u) ſcriptor delirus, inersque uideri, dum mea delectent mala me, uel denique fallant, quam ſapere, & ringi; fuit haud ignobilis Argis, qui ſe credebat miros audire Tragoedos, in uacuo laetus ſeſſor plauſorque theatro: cetera qui uitae ſeruaret munia recto more: bonus ſane uicinus, amabilis hoſpes, comis in uxorem: poſſet qui ignoſcere ſeruis, & ſigno laeſo non inſanire lagenae: poſſet qui rupem & puteum uitare patentem. Hic, ubi cognatorum opibus curisque refectus, expulit elleboro morbum, bilemque meraco, & rediit ad ſeſe: Pol, me occidiſtis amici, non ſeruaſtis, ait, cui ſic extorta uoluptas, & demtus per uim gratiſſimus error. Reſpondet his hiſtoria, quam

(t) *Tom. I. reflex. div.* 13. (u) lib. 2. epiſt. 2. uerſ. 26. & ſequ.

quam BOILEAV (x) affert, de uiro ſapiente, qui, grauiori ex lapſu, adeo laeſit cerebrum, ut falſa deluſus perſuaſione putaret, ſe in numerum angelorum receptum, amoeniſſimo inſtrumentorum muſicorum concentu recreari, & hinc medicum, cuius miniſterio ab hoc deprauatae imaginationis & iudicii errore liberatus fuit, maxime culpauit & damnauit. Sed dementius nihil eſſe poteſt inſulſo illo, quod a ſtultorum ſtultitia deſumitur, argumentum; hic enim inſani ſiſtuntur, ex una dementiae ſpecie in alteram praecipitati; &, quemadmodum neminem, etiam ex fatuorum numero, adeo a mente deſertum, fore credo, qui, ad talem dulcis grataeque imaginationis errorem producendum, lapſum ab alto, aut ſemen daturae, uel hyoſcyami radices, aut opium, commendabit, ita multo minus homines ſanae rationis compotes, dementiae, & ab hac expectandae laetitiae ergo, ebrietatem laudabunt; nam in homine, ait CICERO, (y) ſumma omnis animi eſt, & in animo rationis, qua nihil homini diuinius. Habet enim in ſe amplum quiddam, & magnificum, omnia humana non tolerabilia ſolum, ſed etiam leuia ducens; altum quiddam & excelſum, nihil timens, nemini cedens, ſemper inuictum. (z) Melior pars noſtri, animus eſt, ille rector dominusque noſtri, cuius imperio impellimur & reuocamur. Ratio, dux atque imperator uitae mortalium, (a) cui tota hominis natura paret. (b) Imo, animus rector eſt humani generis, agit atque habet cuncta, neque ipſe habetur. Curandum itaque eſt, ut cogitatione, ad res quam optimas, utamur, appetitum rationi obedientem praebentes. (c) Ebrietatem igitur, Maximiliani erat, quam filio dedit, regula, flagitium omne, peſte peius, horre; occoecant

enim,

(x) *Satir.* 4. *a le Vayer.* uid. *Remarq. ſur Rabel. Tom.* 7. *l.* 3. *ch.* 36. (y) lib. 5. de fin. (z) Cicero, lib. 2. de fin. (a) Saluſtius, bel. Iug. cap. 1. (b) Cicero, lib. 5. de fin. (c) Cicero, lib. 1. offic.

enim, quae homini nobiliſſima, rationem; &, quia habent non parum amentiae, obſtruunt diuina lumina, coeli rerumque ſacrarum ſtudium, publici curam, famam. Animo per libidinem corrupto nihil ineſt honeſtum. (d)

XXVI. Faceſſant dehinc ſileantque profani iſti homines, qui dictamen rectae rationis reſpuentes, repudiatis ſacrarum teſtimoniis literarum, omnique iisdem denegata auctoritate, ſuo indulgendum genio putant, & peculiare ſibi gentium ac naturae ius, ex praeconceptis, quas imbiberunt, opinionibus fingentes, largiora pocula, iisque procuratam ebrietatem, flori, bonoque regnorum, regionum, ciuitatum, & rerumpublicarum ſtatui, conſeruando, ſeruire, ac neceſſaria eſſe, quinimo, poculis uberius hauſtis, plus ſaepe, quam truculentiſſimis, quae in ſummam generis humani perniciem geruntur, bellis, perfici poſſe, perhibent. Nihil enim magis, ex huiusmodi hominum ſententia, regnis firmandis, ſtabiliendis, atque amplificandis, conducit, quam arcanarum, ſecretarumque, quae exterae gentes omnino celari uolunt, rerum, cognitio; hanc uero, non meliori acquiri ſubſidio, quam largiore potus ingurgitatione, & huic ſuccedente ebrietate, qui animi fucum tollat, &, quicquid in pectore conditum atque abditum eſt, in apertum proferat, iidem, ad experientiam prouocantes, aſſerunt. Quem in finem, ex illorum conſilio, mox a teneris, largiori poculorum maiorum ingurgitationi aſſueſcere decet, quo alios bibendo uincere queamus, uel, uti Germani loquuntur, *zu Boden ſauffen.* Veritati quidem atque experientiae conſentaneum, quod, ubi largior potus ingurgitatio uires corporis, mentisque praeſentiam, turbauerit & ſubegerit, multa effutiat & loquatur homo, quae prolata, ad ſe rediens, maxime dolet; ſobria enim, quod cogitat mens, ebria lingua profatur, uel, uti Germani in prouerbio dicunt, *trun-*

ckener

(d) Adlzreitterus, Boiocae gentis Annal. part. 3. lib. 36. n. 22.

ckener Mund, redet aus Hertzens-Grund; item, *was der Mann kan, zeigt der Wein an.* Hinc etiam eſt, quod PLINIVS (e) ſcripſit, uinum usque adeo mentis arcana prodere, ut nec ea reticeant, quae ſummam enunciata hominibus allatura ſunt calamitatem. Et certum eſt, quod largius poti non tantum ſua effutiant arcana, uerum etiam mortifera loquantur, rediturasque per iugulum uoces non contineant, quanquam multis ita interemtis. Vulgo ueritas iam attributa eſt uino, atque in prouerbium abiit: pueri, ſtulti, atque ebrii, arcana enunciant, ac uera indicant; imo, uinum, & pueri, ueritatis ſunt proditores; item, ut habet ZENOBIVS, (f) οἶνος καὶ ἀλήθεια, in uino nempe ueritas, ac uinum caret clauo, quod Germani ſic exprimunt: *der Wein, hat keinen Schrein.* Iuuenibus exinde apud Graecos indulta quandoque conuiuia fuiſſe, conceſſumque in iis liberaliorem poculorum uſum, quo abſtruſos eorum mores, & latentes uires, uirtutes, & uitia, perſpicerent, PLATO refert. Eodem artificio nupturas uirgines, in mores ſuorum procorum inquirentes, callida eos methodo, multa perſuaſione, multisque precibus, ad uberioris uſum potus, inuitaſſe, HOEFERVS (g) docet. Hoc plerumque contingere medicis, qui Principibus nondum ſatis noti ſunt, allegatus modo auctor (h) perhibet. Satis etiam notum pſeudo-politicorum apophtegma, qui negant, tormentis, ad exquirendam ueritatem, opus eſſe, cum eadem, rectius & facilius, poculis affatim hauſtis, manifeſtari queat. Vnde apud Perſas, teſte SANSON, (i) Miſſionario Apoſtolico, mos ab antiquiſſimis traditus temporibus fuit, legatos & hoſpites, adeo ad largiorem poculorum deglutitionem ſollicitan-

H di,

(e) Hiſt. Nat. lib. 14. cap. 22. ed. cit. p. 250. (f) Adagiis Graecorum, p. 79. conf. Druſus, Adag. Ebraic. Dec. 2. Adag. 9. (g) Hercule Medico, Noribergae, 1675. in 4to, ed. lib. 8. cap. 5. p. 503. (h) loc. cit. (i) Deſcript. itineris in Perſiam, p. 68.

di, ut dehinc rationis priuati uſu, multa abſona committere non erubeſcant. Hoc nihilo ſecius flagitio, idem ulterius indicat, politici loco ſtratagematis, ad eruendam ueritatem, & detegenda arcana, quae ſobrii & prudentes quauis ratione celant, & reticent, Regem uti, maximamque praeterea uoluptatem, eundem ex ridiculis ebriorum geſtibus & moribus capere, illique nihil gratius, nihil ſuauius eſſe, quam ſi uideat, ſuos hoſpites, mortuorum inſtar corporum, e conuiuiis auferri. Hanc artem, hoc aucupium, ſecreta per ebrietatem feliciter eliciendi, probe calluit Bonoſus Hiſpanienſis, ab Aureliano Imperatore, ſummo in honore habitus; ille enim, teſte AVENTINO, (k) legatos a Germanis miſſos, ſplendidiori conuiuiorum apparatu excipiens, maiora generoſo uino referta pocula propinando, ut abdita in pectore conſilia atque arcana cognoſceret, inebriare ſtudebat, non ignarus uirtutis, quam hic largior uini uſus praeſtat; nam, uti habet Poeta, condita uerax aperit praecordia Liber, &, ex HORATII (l) ſententia, arcanum iocoſo conſilium retegit Lyaeo. Non Perſarum duntaxat Reges, non Bonoſus Hiſpanienſis ſolummodo, hanc in detegenda ueritate amplectebantur methodum, ſed idem antiquiſſimum omnino multorum Principum & Magnatum fuit ſtratagema, largiorum ſubſidio poculorum, & his procuratae miniſterio ebrietatis, ueritatem, & abſtruſiſſima quaeuis ſecreta, detegendi, atque expiſcandi. Reges, ſunt uerba HORATII, (m) dicuntur magnis urgere culullis, & torquere mero, quos perſpexiſſe laborant.

XXVII. Haec uero omnia, quae modo adducta, nullum plane largioribus poculis et ebrietati patrocinium atque aſylum

(k) lib. 2. Annal. Boi. (l) Carmin. lib. 3. Oda. 21. uerſ. 15. & 16. (m) de arte Poetica, u. 436. conf. lib. 3. Horatii, Od. 21. ubi uinum, lene uocatur tormentum, ex doctrina Platonis, qui iisdem uerbis, lib. 1. de legibus, utitur.

lum praebent, his potius, quam noxia, uberior potus ingurgitatio, ſit, dilucide ob oculos ponitur; quis enim, peruerſis huiusmodi hominum moribus atque exemplis, niſi demens, ſe accommodabit? quis, ob leue, quod affectat, emolumentum, adeo iniquus atque in ſemetipſum tam iniuſtus erit, ut, nullam plane ſanitatis ſuae, famae, & honoris, habeat rationem? Ac, quomodo quis, licet iam heros inter heluones euaſerit, certus eſſe poteſt, quod ſe praeſtantior non detur heluo, ac quod ſobrius ſit permanſurus, aduerſarii mente et ratione largioribus poculis obruta et corrupta? Quid tum, ſi ille, quem inebriare geſtis, ſtrenue bibendo, ſine ſubſequente ebrietate, te ſuperat? Quid tum, ſi idem, ex quo arcana expiſcari cupis, potulentorum copia bene ſatiatus, iam a multo eam conſuetudinem tempore teneat, ut, a feriis omnino abſtrahens, non niſi ludicra & abſona proferat, & agat, ac reſponſionem, tuo deſiderio plane aduerſam, ſuppeditet? Cum denique, fide & taciturnitate nihil praeſtantius, nihil ſalubrius, inueniatur, eo maiori circumſpectione ebrietatem fugere decet, quo facilius eadem tibi ex parciore potus copia obrepit, ac quo magis eadem te garrulum, ac quicquid in buccam uenit, libere loquentem reddit. Nam, monente OVIDIO, (n) grauis eſt culpa, tacenda loqui; imprimis arcanos ſermones ne prodas, *λόγων ἀπορρήτων ἐκφορὰν μὴ ποιῦ*, PERIANDRI (o) eſt conſilium. Et, ſi quid, ait LIVIVS, (p) unquam arcani ſanctiue ad ſilendum in curia fuerit, id omnium maxime tegendum, occulendum, obliuiſcendum, pro non dicto habendum. Sciens igitur tace, *εἰδὼς σίγα*, SOLONIS (q) eſt ſententia. Maxime conſilia Principum tacere decet, more Perſarum, arcana Regum, mira celantium fide, de quibus CVRTIVS: (r) non metus, non ſpes, elicit uocem, qua prodantur occulta. Vetus

 diſci-

(n) lib. 2. de arte amandi. (o) apud Stobaeum, Sermon. 3. (p) Hiſtor. Rom. lib. 23. cap. 22. (q) apud Stobaeum, ſerm. 3. (r) de Rebus Alexandri Magni, lib. 4. cap. 6.

diſciplina Regum, ſilentium, uitae periculo, ſanxerat; lingua grauius caſtigatur, quam ullum probrum. Tuis igitur rebus, in conuiuiis amicorum, nimiam fugiens fiduciam, ac potus uſum, caueas, nullique credas negotia arcana; ſunt enim, dicente ERASMO, (s) quibus, & ſi non adſit perfidia, tamen deeſt prudentia, aut animi conſtantia, & ſuperat animi propoſitum, naturae uitium. Nullus autem mortalium, tam continentis eſt linguae, aut animi tam circumſpecti, quin habeat uel unum, cui tantum auſit credere, quantum ipſi creditum eſt; rurſus hic alterum habet, hic rurſus alium, itaque ſimul atque diſceſſum eſt ab unione, cito res ad plurimos propagatur. Simplex enim eſt & ſingulare, quicquid unum eſt, nec excedit terminos ſuos, unde & Μονὰς dicitur. Verum Δυὰς, initium eſt infinitae differentiae; mox, ut unum uno conduplicaueris, ſequitur infinitus numerus: ita ſecretum, quamdiu permanet apud unum, qui primus & ſolus nouit, reuera ſecretum eſt; ubi ſemel alteri communicatum fuerit, uertitur in rumorem. Neque enim in tua iam manu eſt reuocare, quod emiſſum eſt, quod aliunde alio transuolat ſub arbitratu. Proinde HOMERVS, (t) uerba dicit πτερόεντα, hoc eſt, pennata, ſeu uolucria, quod celeriter, auium, ſeu ſagittarum more, ferantur, ac ſemel ex ore emiſſa reuocari nequeant. Habet et ſagitta pennas ſuas, eam, qui tenet, cohibere poteſt, qui ſemel miſit, nec retrahet eandem, nec impediet, quod hinc imminet detrimentum; ea plane ratione ſermo, ſemel emiſſus, cum reticendus erat, totas ſaepe regiones in extremas calamitates praecipitat. Praeſtat hinc, ex inſtituto Sapientum, multa audiendo, pauca loquendo, ac pauciſſima & ſimpliciſſima bibendo, (cum non omnes multum bibere, & ſimul ſapere queant,) ſibi ſuisque rebus proſpicere, quod auctor anonymus, (u) his obſoletis rhythmis, ingenioſa ludens herbarum applicatione, indicauit: *Höre:*

(s) Tractat de Lingua, cap. 5. (t) Iliad. 1. uerſ. 200. (u) apud Simonem Paulli, Quadripart. Botan. Claſſ. 3. p. 234.

Höre: Marck und Melde,
Waſſen beyd im Velde,
Plücke Marck, und lath Melde ſtaen,
So kanſtu wol mit Luyden umgaen.

XXIIX. Ex his, & multis aliis praegnantibus rationibus, diuinae literae, Reges & Sacerdotes, a uini, potus ualde & facile inebriantis, uſu, auocant, arcentque; quod praeceptum, additis ſimul maximi momenti argumentis, ſerio obſeruandum, urget Sapientiſſimus Salomo, (x) his, uti habet ſeptuagintauiralis uerſio, uſus: μετὰ βουλῆς, οἰνοπότει. Οἱ Δυνάσται θυμώδεις εἰσὶν, οἶνον δὲ μὴ πινέτωσαν· ἵνα μὴ πιόντες ἐπιλάθωνται τῆς σοφίας, καὶ ὀρθὰ κρῖναι οὐ μὴ δύνωνται τοὺς ἀσθενεῖς. Non enim, ex CICERONIS (y) ſententia, eſt ab homine nunquam ſobrio poſtulanda prudentia. Notatu quoque digniſſima eſt lex Sacerdotibus lata, qua illis uini uſus, tempore adminiſtrationis ſacrorum, ſub mortis poena, ſequentibus interdicebatur: (z) οἶνον καὶ σίκερα οὐ πίεσθε σὺ καὶ υἱοί σου μετά σου, ἡνίκα ἐὰν εἰσπορεύησθε εἰς τὴν σκηνὴν τοῦ μαρτυρίου, ἢ προσπορευομένων ὑμῶν πρὸς τὸ θυσιαστήριον, καὶ οὐ μὴ ἀποθάνητε· νόμιμον αἰώνιον εἰς τὰς γενεὰς ὑμῶν. Huius uero praecepti, cuius uim Deus uoluit perpetuam eſſe, ratio, non obſcura, ſed in aprico plane poſita eſt, ſacrum quippe cultum, ac diuinarum negotia legum, tanquam res omnium pretioſiſſimas, compoſita & ſobria mente, ſuſcipere, & perficere decet, cum, uti bene annotauit PALINGENIVS, (a) nec bene tractabit uinoſus ſacra Sacerdos; imo, nec Sacerdotis nomine dignus, cum uentri uiuas, canit Poeta, (b) falſo uocitare ſacerdos, uerum iure ſacer bos uocitandus eris; nam, uti idem alio ratiocinatur loco, (c) non genito ſeruire Patri ſuper omnia debes, & Natum Vnigenum Patris amare Dei; ſed tu bis genito ſeruis

(x) Salomo, Prouerb. cap. 31. uerſ. 4. & 5. (y) lib. 2. de finib. (z) Leuit. cap. 10. uerſ. 9. (a) Zodiaco uitae, lib. 3. (b) Hoffmannus, lib. & ed. cit. Cent. 6. epigr. 36. p. 114. (c) lib. & ed. cit. Cent. 4. epigr. 35. in Sacerdotem ebrioſum, p. 76.

ſeruis ſymmyſta Deaſtro, quis non te reprobum terque quaterque uidet. Illud uero mandatum, tam ſeuere Regibus & Sacerdotibus iniunctum, non ad illos ſaltem, ſed ad omes omnino homines pertinet; unde ex LYSERI, (d) ad Rabbinorum teſtimonia prouocantis, relatione, omnis Iſraelita ebrius ab ingreſſu ſanctuarii arcebatur. Nec ignorabant harum legum praeſtantiam et utilitatem Gentiles, a Regibus & Sacerdotibus ſuis, rigidum & conſtans ſobrietatis exercitium deſiderantes. Virtutem hanc, in ſua republica, ſtrenue urgebat PLATO, qui, ſi credis ALEX. DE ALEXANDRO, (e) magiſtratibus, donec in honore eſſent, uinum prohibebat. Idem, eodem teſte, (f) Carthaginenſium erat inſtitutum, a maioribus traditum, ſerioque a poſteris obſeruatum. Obſeruarunt quoque hunc morem Indi, adeo ſtrenui ſobrietatis cultores, ut nemini, niſi ſacrorum cauſa, uinum bibere, liceret. Imo, uti de iisdem refert CAELIVS RHODIGINVS, (g) Regem temulentum occidendi, quiuis eorum, poteſtatem habebat; &, ſi mulier Regem ebrium occiderat, hoc donabatur praemio ac munere, ut ſucceſſori nuberet. Maximum apud Romanos erat crimen, ſi quis, ante annum trigeſimum, uinum bibebat, ac ſeruis, uti teſtatur ALEX. DE ALEANDRO, (h) uini uſus, niſi ſacrorum cauſa, & ſolemnibus feſtisque diebus, plane interdictus erat. De Matello, apud VALERIVM MAXIMVM, (i) relatum legimus, quod uxorem, quae uinum e dolio biberat, fuſte interficiens, a Romulo ſit caedis abſolutus. Hinc quoque mos apud Romanos inualuit, foeminis oſculum dandi, quo, an temetum, ore redolens, hauſiſſent, cognoſcerent? Sed de his, plura, ſequentibus, propediem, Dei auxilio, edituris, inuenies.

(d) in Polygamia triumphatrice, quae, ſub nomine Alethaei, cum notis Athanaſii Vincentii, Londini Scanorum, 1682. in 4to, prodiit. theſi 60. §. 3. p. 532.
(e) Dier. Gen. lib. 3. cap. 11. (f) Alex. ab Alexandro, dier. Gen. lib. 4. cap. 6.
(g) Antiqu. Lect. lib. 18. cap. 13. ex Strabonis lib. 15. (h) lib. 2. cap. 25. (i) Memor. Exempl. lib. 6. cap. 3.